DISSERTATIO INAUGURALIS IN APHORISMUM HIPPOCRATICUM XXVIII. SECTIONIS VI.

ΥΝΟΥΧΟΙ ΟΥ ΠΟΔΑΓΡΙΩΣΙΝ, ΟΥΔΕ ΦΑΛΑΚΡΟΙ ΓΙΓΝΟΝΤΑΙ.

QUAM,

ADNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

FRANCISCI FABRICII,

S. S. TH. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS, UT ET ORATORIAE SACRAE, IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESS. ORDIN., SOCIET. REGIAE ANGLIC. DE PROMOVENDO EUANGELIO IN PARTIBUS TRANSMARINIS SOCII: NEC NON ECCL. LEIDENSIS PASTORIS.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*

& Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Publico ac ſolemni Examini ſubmittit

ARTHOLOMAEUS HERMANNUS DE MOOR,
Maasſluſa-Batavus.

Ad diem XXIII. *Martii* 1736. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1736.
Academiae Typographum.

BERNHARDINO DE MOOR,
V. D. M. IN ECCLESIA GOUDANA, PARENTI
OPTIMO, OMNI OBSERVANTIA AD ROGUM
USQUE COLENDO.

E T

BERNHARDINO DE MOOR,
B E R N H. F I L.,
ECCLESIAE, QUAE EST IN PAGO, DICTO
BROEK IN WATERLANDT/ PASTORI, FRATRI
CARISSIMO.

Diſſertationem hanc
ſacram vult

A U C T O R.

DISSERTATIO INAUGURALIS IN APHORISMUM HIPPOCRATICUM XXVIII. SECTIONIS VI.

Ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς, ut fert proverbium. Hoc obſervarunt Veterum artifices, qui ſplendidum conſtruentes aedificium aureas columnas bene munito domus veſtibulo ſubjiciebant. Hos & librorum architecti ſecuti ſunt, dum, grande quoddam opus adgreſſuri, ab eximio quodam facinore initium facere ſolent, ut lectorem in ipſo, ut ita dicam, limine in admirationem rapiant. v. Pindari Olympiac. Ode VI. in initio. Verum, uti ante umilem caſam ſuperbum veſtibulum, ſic & magnifica levidenſem, quas haec noſtra eſt, diſſertatiunculam antegreſſa praefatio ridicula foret, uare, ne in me cadat vetus (quod apud Lucian. in Demoſth. Encom. abetur) dicterium, Μεῖζον τὸ πίσαγμα τῷ θυλάκῳ, ipſum ἄνευ προοιμίου adredior Diſſertationis argumentum, quod Divinus praebet Hippocrates, um inquit:

Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίγνονται.

Omnia quidem fateor, quae ſummus hic Medicinae Princeps ac Pans poſteris reliquit, exemplaria Medicorum manibus nunquam ſa- verſari, nunquam ſatis apud animum reputari poſſunt: haec autem primis, quam propoſuimus, obſervatio dignam attenta conſideratione ateriam, haec dignum vindice nodum exhibere viſa fuit. Adeo enim otidianae fere omnium, quotquot poſt Hippocratem Medicinam proſſi ſunt, experientiae adverſatur, ut vix unum alterumve, qui eamdem o confirmaverit adſenſu, invenias. Hinc eſt, quod nonnulli fideliſſimum

ac candidiſſimum Obſervatorem falſi accuſaverint, quod tamen injuria factum oſtendere conabimur.

Ut itaque Divi Senis effatum rite conſideremus, ſingula prius exponemus verba, eorumdemque expoſitioni, quae cujuſque loci videbuntur, ſubnectemus, quo dein qualiſcunque hujus paradoxi adpareat ratio. Cum autem res propoſita intelligi nequeat, niſi, circa quos Hippocratis verſatur obſervatio, probe cogniti fuerint, primo loco videbimus, quinam οἱ Εὐνοῦχοι, unde orti, & quibus aetate Cöi reperti ſint locis; ut & quonam uſi fuerint vivendi modo, quibuſque adhibiti miniſteriis. Subjungemus, (quantum ex obſervationibus diſcere licuit) quibus a viris diſtent proprietatibus: poſtea non quidem omnium, ſed ſolummodo obſervati Hippocratici rationem indagaturi.

Propoſitum ordinem obſervaturo occurrit primo loco ipſius vocabul Εὐνοῦχος conſideratio, cujus accuratius inſtituendum erit examen, utpot cujus etymologia nos non tantum reddet certiores de iis, qui hoc nomine inſigniuntur, ſed inſuper non pauca, quae ad munus eorumdem ſpectant, docebit.

Cum autem non omnium Auctorum eadem de τοῦ Εὐνοῦχος etymo ſi ſententia, breviter diſcrepantes recenſebimus opiniones, unicuique eligendi, quae placuerit prae ceteris, relinquentes arbitrium.

Petrus Comeſtor τὸ Εὐνοῦχος ex εὖ & νίκη vult eſſe compoſitum, quo Eunuchi libidinem, quae ſumma ſit victoria, ſuperare poſſint: verum ho longius eſſe petitum, & in orthographiam hujus vocabuli incurrere videtur. Aliis, inter quos Euſtathius primas tenet, Εὐνοῦχος dicitur, qua εὖνις τοῦ ὀχεύειν, ſeu τῆς ὀχείας i. e. ἐστερημένος τῆς συνουσίας. Quidam Εὐνοῦχος deducunt ab εὐνοεῖν. Honoratiores enim inter ſervos quandoqu dixerunt Εὐνούχους, q. εὐνοῦντας τοῖς ἔχουσι, benevolos erga heros. v. Joan Dougtaei Analecta N. T. Excurſ. L. p.76. Sic Epiphanius Haereſ. LVIII. §. 1 p.491. Ed. Colon. 1682. ait: Ὅθεν τάχα οἶμαι καὶ τὸ Εὐνοῦχον καλεῖσθα ἀπὸ τοῦ εὐνοεῖν δύνασθαι, ἀφαιρουμένων τῶν μελῶν, καὶ μὴ ἐπιτελεῖσθ μίξει τῶν σωμάτων, ὡς τῶν ὀργάνων ἀφῃρημένους. Nonnulli ex εὖ, νοῦς & ἔχειν dixerunt conflatum eſſe τὸ Εὐνοῦχος. Scribit enim Et mologus: Τινὲς δέ φασι παρὰ τὸ εὖ τοῦ νοῦ ἔχειν, καὶ ἀπηλλάχθαι τ ἀφροδισίων· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τὰ Ἀφροδίσια, ἀνόητα ἐκάλουν· ὡς παρ Ἀριστοφάνῃ·

Ὕπνου τ' ἀπέχεσθαι καὶ τῶν ἀνοήτων πάντων.

Quae quidem verba non eodem perfecte modo apud Ariſtophanem

gu

guntur, verum tamen reperitur locus in Comoedia, quae Νεφέλαι inſcribitur, ℣. 416, ubi Socrates ad Strepſiadem ait:

Οἴνου τ' ἀπέχει, καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων.

ad quem quin reſpexerit Etymologus, non dubitant doctiſſimi, qui Comicum commentariis ſuis illuſtrando operam dederunt, viri, apud quos plura ad hanc rem ſpectantia videre eſt. Ita Eunuchus notet primo eum, qui ſit continens, unde Clemens Alexandr. lib. III. Paedagog. cap. IV. pag. 168. Ed. Lugd. Bat 1616. Εὐνοῦχος ἀληθὴς (inquit) οὐχ ὁ μὴ δυνάμενος, ἀλλ' ὁ μὴ βουλόμενος φιληδεῖν. Quum autem tales olim matronas & τὰ γυναικεῖα cuſtodirent, & hoc apud barbaros eorum, qui corpore eſſent mutilo, officium eſſet, hinc factum, judice G. J. Voſſio, ut poſt ea vox Εὐνοῦχος referretur ad τὴν τοῦ σώματος λώβην, nec continentiae eſſet vocabulum, ſed foeditatis. Ingenioſe licet ac ſubtiliter excogitata ſit haec derivatio, receptiſſima tamen eſt opinio eorum, qui ſtatuunt Εὐνούχους dictos ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, τουτέστιν, ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φυλάσσειν, & vertunt θαλαμηπόλους, *lecticuſtodes*. Volunt hi τὸ Εὐνοῦχος officii prius fuiſſe nomen, unde Putiphar, qui inter Regis Aegypti aulicos recenſetur, in Graeca Veteris Teſtamenti verſione Εὐνοῦχος adpellatur, licet ipſe nihilo minus partes genitales integras cenſeatur habuiſſe. v. G. Saldeni Otiorum Theologicorum lib. III. Exercitat. VI. (quae de Eunuchis agit) §. XXIV. Sic & Eunuchum illum Reginae Aethiopum, de quo ſermo eſt in Act. Apoſt. cap. VIII. ℣. 2. mutilatum minime fuiſſe, quia dicitur ἀνὴρ, quidam ſtatuunt; quod argumentum aliquanto infirmius aliis videtur. v. Joh. Mich. Dilherri Diſput. Academ. Tom. I. p. 159. Cum autem in multis aulis feminarum ac liberorum cura non tantum, verum & ipſorum Principum cuſtodia iis, quibus amputata erant virilia, committeretur, cenſent, quibus haec placet etymologia, hanc ob cauſam poſt ea vocabulum Εὐνοῦχος de *Caſtratis* uſurpari coepiſſe, ut ſit hoc nomen quaſi pallium, quo tegatur injuria naturae facta, notante Jul. C. Scaligero de Subtil. Exercit. CCLXXVII. §. 3.

Tanta licet ſententiarum de τοῦ Εὐνοῦχος origine ſit diverſitas, de ſignificatione vocabuli ſatis tamen conſtat. Omiſſa itaque de Eunuchis Dignitatis vel Devotionis (de quibus docte agit Saldenus Exercit. laud. §. IV-VI.) diſceptatione, ad Eunuchos proprie dictos tranſimus.

Εὐνοῦχος igitur ſtricte dicitur ille, cui ſoli deſunt teſtes; laxius vero uſurpatur etiam pro eo, cui cum ipſis didymis totum quoque deficit veretrum. Poſteriores vero proprie dicuntur καρσαμάτια, voce Barbaro-Graeca; non βάκηλοι, uti vult Saldenus Diſſ. cit. §. VII.; aliam enim omnino inter duo haec vocabula, Εὐνοῦχος nimirum & βάκηλος, differentiam oſten-

dit

dit Lucianus in Eunucho Tom. I. pag. 979. 980. Ed. Salmur. 1615 Τὸ δὲ τȣ̃ Ε'υνούχου (inquit) ϗ τ̃ Βακήλων χεῖρον εἶναι. τȣ̀ς μὲν γ κἂν πεπειρᾶσθάι ποτε ἀνδρείας, τȣ̃τον δὲ ἐξ ἀρχῆς ευθὺς ἀποκεκόφθαι &c. Differt & ab Ε'υνούχῳ Σπάδων, quod a σπάω, *trabo*, *evello* derivatum, a nonnullis quidem accipitur pro illo, cui evulſi ſunt κρεμαςῆρες verum ſic idem eſſet cum Eunucho, nec unquam poſtea prolis generandae ſpem fovere poſſet, qua tamen ſpe nititur ineundi matrimonii libertas Spadonibus conceſſa, prohibita Eunuchis. quin & Spadones teſtamentum facere, ac liberos Romae pro arbitrio poterant adoptare; Eunuchi nequaquam. adeoque τὸ Σπάδων interpretandum erit ex altera primitivi ſignificatione, qua notat *convellere*, *detorquere* (unde uſitatum Medicis deducitur vocabulum σπασμὸς, *convulſio*) eritque Σπάδων is, qui proprie propter teſtium convulſionem, vel meatuum ſeminiferorum detorſionem; laxius vero propter quemcumque didymorum morbum prolificum producendi ſemen impos factus ſit; donec curatus fuerit morbus, qui ipſi ſterilitatis cauſa fuerat Non enim illis adſentire poſſumus, qui τὸ Σπάδων deducunt a Σπάδα, vico Perſico, ubi (teſte Stephano Byzantino in v. Σπάδα, unde quoque σπάδοι derivat) primum caſtratio contigiſſet, quod ex hiſtoriis amplius comprobandum fuerat; unde & ipſorum ſententiam rejicit Cujacius lib. XVII. Obſerv. cap. XXIV. Nec magis adridet tradita ab Accurſio etymologia, qu videlicet τὸ Σπάδων a *Spatha*, h. e. novacula, (Gallorum lingua) qua teſte inciderentur, ortum cenſet. Huc pertinent Θλαδίαι & Θλιβίαι, (a θλάω *frango*, & θλίβω, *attero*, *contero*) quibus vel fiſſa ferula didymi ſunt compreſſi & paulatim eliſi, vel confracti: aut aqua calente foti & dein manibus attriti erant, ut ſic mulierem inpraegnare non valerent. v. P. Aeginetae lib. VI. cap. LXVIII. Referuntur & jure ad Spadones illi, qui uſu herbarum aut pharmacorum bono atque efficaci deſtituuntur ſemine. vid. infra, ubi de Caſtratione agitur.

Viſa ſic horum vocabulorum differentia, animadvertendum tamen eſt illam ab Auctoribus non adeo eſſe obſervatam, ut non ſaepius & paſſim apud ſcriptores Latinos vox Spado pro Eunucho occurrat, quod ex loco Q. Curtii poſtea adducendo patebit: & ut rurſus Eunuchus aliquando non veniat pro eo, qui a virilibus licet inſtructus partibus generare tamen non poſſit; vid. Strabonem lib. XIII. Rerum Geograph. p. 925. Edit. Amſtel 1707. ubi ἐυνȣ̃χος dicitur, cui teſtes erant contuſi. unde Scythae, quos Hippocrates ob continuam dixerat equitationem fieri ἀσθενεῖς εἰς τὴν μίξιν καὶ ἀγόνους prava morbos curandi methodo, paulo poſt eidem Auctori vocantur ἐυνουχοειδέςατοι τῶν ἀνθρώπων. lib. de aër. aq. & locis. cap. LII.

Eunuchi autem variis apud varios Scriptores inſigniuntur nominibus;

au-

audiunt enim ἀπόκοποι, ἐκτομίαι, ἀνανδριεῖς, ἡμίανδροι, ἡμιγύναικες, ἀνδρόγυνοι, γυννίδες, χλοῦναι, Α'τλεις, γάλλοι, σαλμακίδες, γυναικώδεις τε καὶ ἐν ἀνδράσιν ἄνανδροι, ἀμφίβολοι τὸ γένος, οἱ μήτε ἄνδρες μήτε γυναῖκες, ἀμφίβολα πρόσωπα περιφέροντες, γυναικομανεῖς, σιδηροκατάκοποι, βάκηλοι, &c. *Evirati*, *abſciſſi*, *ſemiviri*, *effeminati*, *molles*, *praeciſi*, *truncati*, *exſecti*, *deglabrati*, *inberbes*, *Curetes*, *Corybantes*, *Moenades*, *Bacchae*, *dactyli*, *cynoedi*, *ſemimares*, *nothae mulieres &c.* Quamquam, quod omnino notandum, non omnia haec de Eunuchis promiſcue adhibentur vocabula, ſed quaedam ſolis Cybeles tribuuntur ſacerdotibus. Saldenus l. c. §. XII. Perſis olim *Bagoae* dicebantur, quo nomine Eunuchum compellat quoque Ovid. lib. II. Amor. Eleg. II. ℣. I.

Quem penes eſt dominam ſervandi cura, Bagoë.

v. Indicem, quem Curtio adjecit H. Snakenburg.: nunc iiſdem *Coja* audiunt. Chardin. Voyages Tom. VI. chap. XIV.

Nunc eo devenimus, ut varia Eunuchorum proſequi debeamus genera. Et quidem primo hic occurrunt Ε'υνοῦχοι ἐκ κοιλίας, vel ἐκ φύσεως, vel ἀπὸ φύσεως, ſeu illi, qui vitio naturae abſque partibus genitalibus ſunt progeniti. Sic homines, quibus teſtes natura negaverat, obſervatos fuiſſe, ex Carolio & Sennerto refert de Graef de Vir. Org. pag. m. 4 & 5. v. & Paul. Zacchiae Quaeſt. Med. Leg. lib. II. Tit. III. Quaeſt. VII.

Sequuntur, qui caſu infortunato, quibus viri erant, partibus ſunt orbati. Ita narrant Paracelſum triennem a ſue caſtratum fuiſſe. v. H. Boerhaave Elem. Chem. Part. I. pag. 20, qui tamen addit effigiem viri ad vivum expreſſam ipſum barbatum pingere. Puero ſemeſtri teſtes ac penem ſimul unico porci morſu ablatos refert Fabricius Hildanus Obſ. Chir. Cent. I. Obſ. XLVII. Simile damnum a cane illatum fuit ejusdem aetatis puello, quem ante ſeſquiannum Amſtelaedami videre mihi contigit.

Tertio loco veniunt, quibus teſtes (vel & cum ipſis penem ac ſcrotum) ferri acies abſtulit, vel ad curandas hernias, vel propter morboſam ipſorum didymorum adfectionem; Joſeph. de la Charriere Oper. de Chir. chap. II. XIII. vel ob aliam quamcumque cauſam. Operatio enim haec, quae Caſtratio adpellatur, vel ut extremum laudatur a Veteribus remedium in Epilepſia deſperata. Fel. Plater. lib. I. cap. 2. & eodem judice in Melancholia ac Mania ceterum incurabili adhiberi liceret. ibid. cap. III. Fuit & Caſtratio in poenarum relata numerum. Apud Aegyptios enim illi, qui vim liberae intuliſſet virgini, genitalia praecidebantur. Diodor. Sic. Bibl. Hiſt. lib. I. ſect. II. pag. 71. Apud Athenienſes adulteri partibus, quae

 pec-

peccaverant, plectebantur. Gronov. Theſ. Antiq. Graec. VI. 3696. C. ut apud varias alias gentes. Id. VIII. 1406. F. Eadem ſeveritate uſos Romnos patet ex Q. Horat. Lib. I. Sat. II. ℣. 46. ubi Poeta, poſtquam vari quae moechi paſſi fuerant, mala recenſuerat, ait.

——— ——— ——— Quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes, caudamque ſalacem
Demeterent ferro.

Unde facete ſatis ſervus, huc adludens, ait apud Plautum in Poenul. A IV. ſc. II. ℣. 40. 41.

——— *facio, quod manifeſte deprenſi moechi haud ferme ſolent;*
——— *refero* vaſa *ſalva*. v. ibi Turnebum.

vid. & Plaut. Mil. Glor. Act. V. Terent. Eunuch. Act. V. ſc. V. Quamv autem hoc ſupplicii genus non immeritum exiſtimes, H. L., nonne t men miraberis tam audaces in ſcelus unquam evaſiſſe mulieres, ut pr pria manu haſce de maritis ſuis adulterii ſumſerint poenas? hoc interin irrito licet ſucceſſu, tentatum eſſe a femina, quae maritum alteram pr uxore deperire detexerat, narratur in Menagianis; Tom. IV. pag. 274 ubi haec ſubjungitur inſcriptio in hujus rei memoriam facta.

De inſano uxoris in virum facinore Caſtellione ad Sequanam, Kalen Jan. CIƆIƆCCX. patrato.

Hoſpes, diſce novum ſceleris genus. Impia conjunx,
Inter nocturni gaudia blanda tori,
Amplexus inter medios, matura voluptas
Optatum ad finem cum properare cupit,
Adgreditur cultro partem, quis crederet! illam
Scindere, vir calidum qua peragebat opus.
O furor! o rabies! lugent Riſuſque, Jocique,
Aufugit Idalius cum genitrice puer.
Adſuetum ferro Martem narratur amaſſe;
At nunquam ferro ſaeviit alma Venus.

Hoc quoque timebat ſenex ille apud Plautum in Mercat. Act. II. ſc. ℣. 4. dum ait;

Quaſi hircum, metuo, ne uxor me caſtret mea.

Ut

Utinam autem Caſtratio ſemper tanti manſiſſet flagitii poena, nec in :os, qui illo non tantum ſcelere ſe non adligaverant, verum quibus de ipo ne per aetatem quidem cogitare liceret, exercita fuiſſet! ſed quorſum omines non abripit libido! quid non pectora mortalia cogit nefanda zeotypia, ac ſacra auri fames! hiſce enimvero crudeliſſimis tyrannis ingens nſontium hominum numerus illa, quibus virilis ſexus ſuperbit, ſacrificare nembra, & ſimul omni virili robore atque adfectibus privatos ſe videre oactus fuit, poſtquam ſive ferrum, ſive teſta in virilitatem ſaevire coeerat. vide Epiphanium l. cit.

Primum caſtrationis auctorem quidam perhibent fuiſſe Chamum, qui Noachum patrem, dum ſe vino captus denudaſſet, & in tabernaculo ſuo ormiret nudus (Geneſ. cap. IX.) non tantum ludibrio habuiſſet, ſed & xſecuiſſet; uti ex Petro Martyre refert Saldenus diſſ. laud. §. IX., non taen abſque ratione, uti videtur, ſententiam illam rejiciens. Ingloriam ero hujus artificii inventionem, ejuſdemque primam exercitationem ad emiramidem, Nini uxorem, Aſſyriorum reginam, mulierem, ſi qua lia, libidinoſiſſimam refert Ammian. Marcell. lib. XIV. cap. VI. p. 21. Ed. ac. Gronov. Lugd. Bat. 1693. Repertos ſaltem fuiſſe Eunuchos in Seiramidis aula conſtat ex Diod. Sic. Bibl. Hiſt. lib. II. pag. m. 107 & 108. uamvis hic Auctor, qui accuratiſſimam Semiramidis conſcripſit hiſtoam, ne verbum quidem addiderit, quod, ut ipſius juſſu primos abſciſos fuiſſe mares credamus, perſuadere poſſit. Hinc factum ut alii Euuchorum natales ad Perſas retulerint, & a Spada, vico Perſico, noen ſpadus vel ſpado deduxerint; hoc tamen non adeo certum eſſe, ſueiius vidimus. Binas haſce ſententias, utra veritati conveniat, in medio elinquens proponit Claudianus in Eutrop. lib. I. ℣. 339. & ſeqq. ubi de Eunuchis agit:

Hos fecere manus: ſeu prima Semiramis *aſtu*
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutae
Mollities, leveſque genae ſe prodere poſſent,
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu Parthica *ferro*
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri ſervire juventam.

bi Caſp. Barthius notat *Parthica* i. e. *Perſica. Perſae enim & Parthae dem ſunt, his ab iis in ditionem acceptis.*

Incertitudo harum rerum effecit, ut multi crudelitatis hujus primoria deduxerint ab Attide, Attine, Attyne, vel Atide; variis enim hoc no-

nomen ſcribitur modis. De hoc narrat Servius ad Virg. Aeneid. Quo„ puer ſpecioſus, cum Matris Magnae praeëſſet ſacris, a Rege civitat„ adamatus fuerit: cujus manus cum effugere non potuiſſet, vim ſibi in„ ferendam videns, ſtupratoris verenda abſciderit, viciſſim ab eo caſtra„ tus & inde mortuus, in cujus memoriam Mater Magna inſtituerit, u„ quotannis in ſacris ſuis plangeretur, & cultores ſui viriles ſibi parte„ amputarent, qui Archigalli adpellantur. Alii dicunt Matrem Magnan ſeu Cybelen vetulam ac deformem ejus amore flagrantem, quem ad ſtuprum illicere non potuerat, eviraſſe. Alii rurſus ſcribunt, eamdem Cybelen ejus veretrum abſcidiſſe ex impatientia rivalis, filiae regis Peſſinuntini, Midae, quae a patre Attidi deſtinata eſſet. Sunt & qui Attidem ſeipſum eviraſſe tradiderunt: ut Catullus. Adeo ut, licet multa Attidis hiſtoria involvat incerta, de eo tamen fere conſtet, quod puer ill exſectus fuerit, & in ejus memoriam omnes Matris Magnae, qui quinqu erant numero, Antiſtites evirari debuerint, quod fieri ſolebat in urb Hierapoli, ubi ipſa colebatur, & quidem in ipſius Cybeles fano. Vid haec omnia fuſius in Theſ. Antiq. Graec. J. Gronov. VII. 509 & ſeqq & apud Saldenum de Eun. §. XI, qui §. XII. in rationem inquirit vario rum, quae his ſacerdotibus impoſita fuerunt, nominum: ut Galli, Archigalli &c. vid. & Pauſaniam lib. VII. cap. XVII. p. 566. Edit. Lipſ. 1696

Eunuchi autem vel a ſe ipſis, vel ab aliis exſecti fuerunt. Ad priore a quibusdam referuntur quoque Attis, & omnes Cybeles ſacerdotes. vic Salden. l. c. §. XIV. ſic Lucillius apud Nonium Marcellum de proprietat ſermonum cap. IV. §. 434. in verbo *Samium* dicit quemdam, ut uxoren ulciſceretur, ſe ipſum caſtraſſe:

Hanc, ubi vult male habere, ulciſci pro ſcelere
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibique illico
Proſcidit caulem, teſtesque una computat ambo.

Sic enim legit ex correctione Hadr Junii. Grangaeus ad Juven. Sat. VI. ver 514. Hiſce accenſetur etiam Origenes, Epiſcopus Alexandrinus, quen ajunt ideo, quod verba Chriſti, quae leguntur in Euang. Matthae cap. XIX. verſ. 12. Καί εἰσιν Εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς, διὰ τὴ βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. de proprie dicta Caſtratione accipienda cenſe bat, eo furoris perveniſſe, ut ſecutus nimis temere Valeſios vel Valeſio nes, (de quibus vide Epiphanium l. c.) ſuis ipſe manibus virilitate ſe pri vaverit. Dolendum vero, hominem, qui in ceteris ſacri Codicis locis u bique fere myſticum inveniebat ſenſum, hic loci eumdem non quaeſivi ſe. vid. Suicer. Theſ. Eccl. in v. Εὐνοῦχος, Salden. de Eun. §. XX. & Johan ni

is Michaëlis Dilherri Diſput. Acad. T. I. p. 159. Narrant & exemplum *ombabi*, formoſiſſimi Syri adoleſcentis, qui, cum Stratonice, uxor re-is Syriae, ejus curae commiſſa eſſet, veritus ne forte propter formam l adulterium ab ipſa ſolicitaretur, ut ipſam evitare poſſet ſuſpicionem, ἀνδρεῖα ſibi praeſciſſa, in capſula ſigillo obſignata, domi reliquit. ıod inventum ipſi non tantum ſervavit vitam, ſed & multis eum auxit ınoribus. vid. Salden. de Eun, §. XIX. Ita ante hos tres, & quod excurrit, ınos Amſtelaedami Anglus quidam, corpore gracili ac macilento, ut qui axime, Baccho, atque exercitiis Venereis nimis, quam par erat, & ıam quidem ipſe cupiebat, deditus, quum libidinem vincendi alium n inveniret modum, teſtibus tandem parcere noluit, ſed furens & phre-ticus fere, parvum adripuit, obtuſa acie, cultellum, quo ſcrotum a-ruit, ſolos dein teſticulos accurate, quod mireris, a reliquis liberavit embranis, ac tandem ſpermatica vaſa prope didymorum bulbum ab-dit. Hic ex arte deligatus ac curatus, intra V vel VI ſeptimanarum ſpa-m integrae ſanitati reſtitutus eſt, & in hunc uſque diem ſanus vege-ſque vivit. Horum autem Eunuchorum non adeo magnus invenitur merus, nec eos intendiſſe tantopere videtur Hippocrates, unde hos ſſos facimus.

Silentio quoque praeterire poterimus feminas Eunuchas, quarum me-nit Antiquitas; & cujus rei inter Recentiores unicum exemplum re-t Joannes Wierus de Praeſtigiis Daemonum lib IV. cap. XX. §. 5. *Sic dam, nomine Joannes ab Eſſen, ab Illuſtriſſimo Clivenſi Duce, numerata a pecunia, caſtrandi jumenta & pecora in Marchiae Comitatu poteſtatem ſe ſolo impetrarat. Hic ubi quemdam familiarius conjunctiuſque ſua frui animadverteret, ira incitatus, eam manu injecta e veſtigio in cubiculum ipit, violenterque uterum eidem, quemadmodum pecori ſolet, exſecat, con-ionique porro inidoneam ſanat. Hujus facinoris ergo centenorum aliquot da-rum mulcta a Principe punitur, nec quidem immerito.* Utrum autem An-mytes (ſive, uti vult Caſaubonus, Adramytes) Lydorum rex, juxta ıenaeum Δειπνοσοφ. lib. XII. cap. III. An vero Gyges, rex ejusdem po-i juxta Herodotum (citante Caſaubono ad loc. laud. Athenaei) pri-s feminarum caſtrationem inſtitui juſſerit, cum uterque Auctor pro-et ad Xanthum Lydium Hiſtoricum in lib. II. rerum Lydicarum, non videtur conſtare, & nos hanc litem, utpote quae parum ad ſcopum rum faciat, aliis dijudicandam relinquemus.

diverticulo itaque in viam. Vidimus ſupra antiquiſſimis temporibus rtos fuiſſe Εὐνούχους, qui ab aliis caſtrati erant, inter Semiramidis mi-ros. Rex etiam Aſſyriae & Babylonis Nabuchodonoſor eos aluit ma-numero, uti colligit Dilherrus l. c. p. 158. ex lib. II Regum cap.

xviii. verſ. 17. Quin & Ahaſuerus (qui aliis dicitur Cyaxares ii, vel D
rius Medus) Medorum rex potentiſſimus frequens gynaecium, eiq
multos Eunuchos praepoſitos habuit, ut ex libro Eſther. videre
Imo & ſeptem ex illis Regi menſae accumbenti miniſtraſſe, quosd
vero janitores fuiſſe, ibidem narratur. A Babyloniis autem Perſas didic
morem ex captivis Eunuchos inſtituendi, notat Donatus ad Ter Eun. A
1. ſc. ii verſ. 87. ut & Herodot. lib. vi. Hiſtor. p. 341 (Edit. Lugd. Bat. 171
Ὡς γὰρ δὴ ἐπεκράτησαν τῶν πολίων (Perſae ſcil.) παῖδάς τε τοὺς εὐει
δεστάτους ἐκλεγόμενοι ἐξέταμνον, καὶ ἐποίευν ἀντὶ εἶναι ἐνόρχιας εὐνούχ
Dein a Macedonibus (Curt. lib. vi. cap. v. 23.) & aliis gentibus in uſ
adhibiti fuerunt. Inſequenti aetate Graecis quoque ſervilem εὐνοῦχοι co
locarunt operam, ubi tamen rari fuere, cum Terentius, Menandru
imitatus, ſcribat, *ſolas ipſis uti reginas*, i. e. feminas adprime nobiles
Eun. Act. 1. ſc. ii. verſ. 88. & in variis Graeciae locis diu tanta regna
continentia, ut, qui reipublicae utilitatem adferre non poterat, cib
praebere noluiſſent. Tandem, creſcente cum divitiis Romanorum
xuria, ipſa terrarum domina contaminatum hunc gregem in ſinum ſu
admiſit, quod innumera Romanorum Scriptorum loca teſtantur. H
die apud Perſas & Mahumedanos aulae ac gynaecei cuſtodiam ingens
huc agit Eunuchorum numerus. Imo tam inſanus Italos in primis muſi
cepit amor, ut, qui vocis gratia maxime placuerint, pueros cultro ſu
ciant, ac teſtibus privent, ne unquam βαρύτονοι evadant.

Quum vero ea tempeſtate, qua aegrotantibus utiliſſimam & aux
plenam in his terris vitam degit Hippocrates, non conſtet inter Grae
rum ſervos ἐκτομίας numeratos fuiſſe, apud alios populos erunt qu
rendi, e quibus propter viciniam primi nobis occurrunt Per
Imperium etenim Perſicum ſe usque ad oram Aſiae extendit mar
mam, & non exiguam Graeciae late dictae partem ſibi ſubjectam, pr
poſitosque ipſi Satrapas habuit, qui & inter ſervos ſuos Eunuchos al
runt. Hinc idcirco opportuniſſima Hippocrati fuit occaſio, vivendi m
dum, corporis conſtitutionem, & morbos Eunuchorum obſervan
praeterquam quod notum ſit, ipſum per exteras regiones itinera feciſſe, &
buiſſe ſuos, quos quaquaverſum, ut, quae occurrerent ad Medicam ſpect
tia ſcientiam, notarent, & cum ipſo communicarent, emittebat diſcipul

Perſae autem (quod notaſſe poſtea uſui veniet) parciſſimo uſi fuere
ctu, ut continuis per leges publicas adſtricti laboribus, cibo ex pane &
ſturtio cum pauco ſale, aqua ſimplici ad ſedandam ſitim contenti fuer
imo eſſe debuerint, niſi quidquam venando cepiſſent. Imo haec gens,
qua alia, maximopere de liberorum educatione ſolicita fuit, ne qua te
ram intemperantiae vel libidinis labes aetatem corrumperet; & cum

ri

rum vitiorum fertiliſſima ſit mater deſidia, non tantum nullis pueris, verum nemini, etiamſi ad provectam perveniſſet aetatem, per publica, quae unicuique ſuum adſignabant opus, decreta otioſo eſſe licebat. Xenophont. Κυροπαιδ. pag. 4--7. & Strabon. Geograph. lib. xv. p. 734. Neque eſt, quod credas, L. H., haec in prima tantum Perſici imperii origine ita obtinuiſſe: ſummam enim adhuc continentiam, ac ſeveriſſimam in hac gente diſciplinam, dum Artaxerxes Mnemon, ſub quo vixit Xenophon, in Perſas imperabat, adeoque diu poſt Hippocratis aetatem, regnaſſe, ex lib. I. pag. 7. Κυροπαιδ. extra dubium eſt. Neque (ut ibidem pag. 8. videre eſt) Principum liberis magna prae civibus concedebatur licentia.

Hiſce itaque animadverſis, quodnam Eunuchorum munus fuerit, examinandum veniet.

Uni Cybelae ſacra feciſſe Exſectos antea vidimus. Inter ea a reliquis arcebantur ſacerdotiis, non tantum apud Judaeos. Deuteron. cap. XXVIII. verſ. I. & Chriſtianos; quadam tamen facta limitatione. Suicer. Theſ. Eccl. in v. Εὐνῦχος. ſed & apud Gentiles. Lucianus in Eunucho: ὁ Διοκλῆς -- τοὺς τοιούτους ἀποκεκλεῖσθαι ἠξίου -- ἱερῶν αὐτῶν, καὶ περιρραντηρίων. Claudian. lib. I. in Eutrop. verſ. 330.

Hi nullas meriti vittas, ſemperque profani.

Apud Perſas praecipuus eorum labor fuit, ut agerent cuſtodiam corporis regii. Aelian. lib. II. Variar. Hiſt. cap. XVII. Xenoph. lib. VII. Κυροπαιδ. pag. 196. Ratio autem, cur Eunuchi ad hoc opus eligerentur, erat, quoniam fideliores futuri credebantur, quam alii, quibus eſſent uxores, liberi, amici, quos magis diligerent, quam Regem; eo magis, quod, cum ignobiles & nullius pretii eſſent apud integros homines, eam ipſam ob cauſam domino egerent, qui ſuppetias ferret, & unde omnis eorum penderet fortuna. Sic enim ipſe ratiocinatur Cyrus apud Xenoph. l. c. Unde illam Eunuchorum fidelitatem vix ullis dignam laudibus, quippe quae ſit miſerae ipſorum conditionis effectus, merito cenſet Chardin Voyag. T. IX. pag. 89. Semiviros enim hos viris nihilo ſanctius fidem dominis ſervare, ſi tutam ſatis deficiendi ac prodendi invenerint occaſionem, ſuo docuit exemplo Philetaerus ille Tianus, qui Pergamo praepoſitus, odio Arſinöes correptus, a regis Lyſimachi fide caſtellum abduxit, ac per annos XX in ſua poteſtate tenuit; atque idem cum pecunia fratris filio Eumeni moriens reliquit. v. Strabonis Rer. Geograph. lib. XIII. pag. 925. ſive igitur jure, ſive injuria ipſis fidelitatis ergo commiſſa fuerit ἡ περὶ τὸ τῶν βασιλέων σῶμα φυλακή, commiſſam tamen fuiſſe negari non poteſt.

Praeficiebantur deinde gynaeconitidi, ut caverent, ne qua ex magn uxorum pellicumque numero, quem Rex & magnates alebant, (Briſſon de Regno Perſico lib. I. § CX. & lib. II. § CLIX.) ſe cum aliis commiſceret Licet enim Perſis & uxorum & pellicum multitudo placeret adeo, u Darii regiam pellices CCCLX inplerent, (Curt. lib. III. cap. III. 24.) no luerunt tamen lecti genialis perpeti injurias Briſſon. lib. II. §. CLX. Et ſa ne ad hoc opus in primis apti habebantur, quod, qua ipſi frui non po terant, aliis invidebant voluptatem: unde Ovidius lib. II. Amor. Eleg III. querulus canit:

Hei mihi, quod dominam nec vir, nec femina *ſervas*,
Mutua nec Veneris gaudia noſſe potes!
Qui primus pueris genitalia membra recidit;
Vulnera, quae fecit, debuit ipſe pati.
Mollis in obſequium, facilisque rogantibus eſſes;
Si tuus in quavis praetepuiſſet amor.

Servilia quoque ipſis mulieribus officia praeſtare cogebantur: videlicet le ctum ſternere, menſam adparare, veſtes parare, balnea curare, dormien tibus ſilentia adhibere, ac ventulum facere &c. Pignorius de Servis pag m. 363. Juvenalis Sat. VI. ÿ. 373. Terent. Eun. Act III. ſc. V. quibus offici muliebribus ſolummodo ipſos adſtrictos eſſe oportere quidam cenſuerunt v. Pignor. p. 367. unde Julianus Imperator rogatus, cur cum tonſoribu & coquis Eunuchos palatio ejeciſſet, nihil aliud reſpondit, quam *quia uxo mea e vivis diſceſſit.*

Educatio inſuper liberorum Caſtratis committebatur. Briſſon. de Regn Perſar. lib. I. §. CXV. & lib. II. §. CLXVI. unde factum, ut apud Perſarum re ges ſaepe plurimum polluerint. Sic enim loquitur Curtius lib. III. cap. III 23. agmen Darii deſcribens: *Quindecim inde, quas armamaxas adpellant, ſequebantur. in his erant liberi regis & qui eos educab nt*, ſpadonumque grex, *haud ſane illis gentibus* (contra, ſcilicet, quam apud Graecos ac Romanos) *haud ſane*, inquit, *illis gentibus vilis.* Apud Graecos enim non majore in honore, quam ceteros fuiſſe ſervos, patet ex ſermone Phaedriae ad Do rum apud Terent. in Eun. Act. IV. ſc. IV. Et quanti eos aeſtimaverint Ro mani, abunde patet ex libris Claudiani, quos in Eunuchum conſulem e didit. Imo inauſpicatum quoddam occurſuque infauſtum fore ſpectaculum, ſi quis, mane domo egreſſus, quempiam hujuſmodi videret, adfirmant idem Claudianus & Diocles apud Lucian. in Eunucho. p. 978.

Quum itaque vidimus Perſas tam ſedulo id egiſſe, ut ipſa educatione, inſtitutione, diaeta, ac continuis laboribus homines a libidine redderent alienos, quantam ſine dubio adhibuerunt induſtriam, ut ne Eunuchi, qui-

bus

ous & liberos educandos, & uxores ſervandas, imo & ſui ipſorum cuſto-
[illegible] tradebant Principes, ulla corrumperentur lautitia? ſaltem, quin Ex-
ecti aeque ſuo demenſo contenti eſſe debuerint, ac primatum liberi, ne-
mo dubitare poterit. Vid. quae in hiſtoria Podagrae poſtea adducuntur.

Ut autem Eunuchorum naturam atque adfectiones intelligamus, accu-
ate ipſa contemplanda venit Caſtratio. Eſt vero haec *Operatio Chirurgica,
ua homini dorſo incumbenti inciditur ſcrotum, ſeparantur integumenta ab
pſis teſticulis & vaſis ſpermaticis, quae, ligata prope exitum ex annulo muſcu-
orum abdominalium, abſcinduntur ad digiti transverſi diſtantiam infra liga-
uram, & ſic tolluntur teſtes.* De la Charriere Oper. de Chir. chap. XIII.
Non enim hic moramur inproprie dictam Caſtrationem, quae, exhibita
qua fluminis in Pyrrhaea, quod Aphrodiſium vocatur, ſteriles reddat ho-
mines: (Plin. Natur. Hiſt. lib. XXXI. cap. VII.) aut dato potu candidiorum co-
ymborum Ederae nigrae, (Id. lib. XXIV. cap. XXVII.) vel herbae Clymeni
iris: (Id. lib. XXV. cap. XXXIII.) aut praebendo Aſplenum, (Id. lib. XXVII.
ap. XVII) Filicemve utramvis mulieribus ſterilitatem faciat. (Id. lib.
XVII. cap. LV. ad quae omnia Plinii loca vid. comment., ubi varia ex Ga-
en., Dioſcor., Theophraſt. adducta invenies.) vel etiam, quae Cicutae,
ut Nymphaeae radicis, aliorumve medicamentorum adplicatione externa
omines ad Venerem reddat inermes. v. Zacch. Tract. cit. p. 200. Omitti-
mus & illam, quae Lamiarum, Strygumve praeſtigiis & incantationi-
us olim inputabatur. vid. ibid. Utriuſque meminit Ovidius lib. III. A-
mor. Eleg. VII. ℣. 13.

Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta,
Segnia propoſitum deſtituere meum. & ℣. 27.
Num mea Theſſalico languent devota veneno
Corpora? num miſero carmen & herba nocent?
Sagave Poenicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur egit acus? &c.

[E]juſdem loci eſt inpotentia ad generationem, quae a morbis quibuſdam
[pr]oducitur, cujus exemplum datur in Scythis apud Hippocr. l. ſuperius
[ci]t. lib. de aër. aq. & loc. Cum autem illa pertinere huc non videantur,
[no]s Caſtrationem, prout a nobis deſcripta eſt, conſiderabimus.

Propoſita caſtrandi methodus vix differt ab illa, quae apud Veteres uſi-
ta fuit, prout ipſam nobis deſcripſit Paulus Aegineta, lib. VI. cap. LXVIII,
i titulus. eſt περὶ εὐνουχισμοῦ. Ibi, poſtquam de Eunuchiſmo per contu-
onem erat locutus, ſic pergit: Ὁ δὲ κατ᾽ ἐκτομὴν τρόπος τοιοῦτός ἐστιν.
[ἐ]πὶ ἐσχηματίσθω ἐπὶ βάθρου ὁ εὐνουχιζόμενος, καὶ τοῖς δακτύλοις

τῆς ἀριστερᾶς χειρὸς πιεζέσθω ὁ ὄσχεος σὺν τοῖς διδύμοις. καὶ διατιθ
ἐπ' ὀρθὸν τεμνέσθω σμίλῃ δύο τομαῖς, μιᾷ καθ' ἕτερον δίδυμον. ἐκπηδ
σαντες δὲ οἱ δίδυμοι ἐκτεμνέσθωσαν διαδερόμενοι, λεπτοτάτης μό
συνεχείας τῆς κατὰ τὴν φύσιν τῶν ἀγγείων καταλιμπανομένης· οὗτος ὁ τρ
πος τοῦ κατὰ θλάσιν προκέκειται. &c.

Quali inſtrumento hoc opus apud Veteres peractum ſit, non adeo co
ſtat. *Teſta Samia* memoratur in loco Lucillii ſupra adducto. Juvenal. S
VI. ℣. 514.

Mollia qui rapta ſecuit genitalia teſta.

Ubi pro *rapta* quidam legunt *Samia*. vid. ibi Notas Grangaei. Alii *rup*
vid. ibid. Lubinum. Quid autem *Samium* ſignificet, docent Non. M
cellus l. ſuperius laudato, Iſidorus Origin. lib. XX. cap. IV. & Hadria
Junius, Hornanus, Medicus, Animadverſ. lib. II. cap. X. *Silicem* generat
dicit Catullus in carmine LXI., quod Attis inſcribitur, ℣. 5.

Devolvit lenta acuta *ſibi pondera* ſilice.

Ferro teſtes demeſſos fuiſſe Horatius ait Sat. II. lib. I. ℣. 48. ut & Juve
Sat. X. ℣. 316.

—— *Secat hic* ferro, *necat ille cruentis*
Verberibus, quoſdam moechos & mugilis intrat.

Ovid. Metam. lib. VI. ℣. 616.

Aut linguam, aut oculos, aut quae tibi membra pudorem
Abſtulerunt, ferro rapiam.

Plaut. Mil. Glor. Act. V. ℣. 4-6.

Pe. *Vide, ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probe.*
C. *Quin jam dudum geſtio moecho hoc abdomen adimere,*
Ut faciam, quaſi puero, in collo pendeant crepundia.

Caſtrationis tempus quod attinet; nefandum hoc ſupplicium ferre c
gebantur inſontes, ſtatim a nativitate, infantuli. Graphice hoc depingit Cl
dianus lib. I. in Eutropium ℣. 44. & ſeqq. ubi Eutropii caſtrationem c
ſcribit:

—— —— *Cunabula prima cruentis*
Debita ſuppliciis. Rapitur caſtrandus ab ipſo

Ub

Ubere. ſuſcipiunt, matris poſt viſcera, poenae.
Advolat Armenius certo mucrone reciſos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium. Secundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis; unoque ſub ictu
Eripit officium patris, nomenque mariti.
Ambiguus vitae jacuit, penituſque ſupremum
Ad cerebrum ſecti traxerunt frigora nervi.

Hoc factum fuiſſe, quia apud Barbaros precioſiores erant Eunuchi, quam, qui non caſtrati, fidei gratia, teſtatur Herodotus lib. VIII. pag. 492. & Claudianus l. c. Eligebantur autem ad hoc opus in primis, qui ceteris forma praecellebant, pueri; Herodot. l. c. Πανιώνιος, ἀνὴρ Χῖος, ὃς τὴν ζόην κατεστήσατο ἀπ' ἔργων ἀνοσιωτάτων. ὅκως γὰρ κτήσαιτο παῖδας εἴδεος ἐπαμμένους, ἐκτάμνων, ἀγινέων ἐπώλεε ἐς Σάρδις τε καὶ Ἔφεσον χρημάτων μεγάλων. παρὰ γὰρ τοῖσι βαρβάροισι τιμιώτεροί εἰσι οἱ εὐνοῦχοι, πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης, τῶν ἐνορχέων. Juvenalis Sat. X. ℣. 295.

——— ——— ——— *Filius autem*
Corporis egregii, miſeros trepidoſque parentes
Semper habet & addit rationem ℣. 304.
Non licet eſſe viros. & pergit. ℣. 306.
——— ——— ——— ——— *Nullus ephebum*
Informem ſaeva caſtravit in arte tyrannus.
Nec praetextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumoſum atque utero pariter, gibboque tumentem.

Nec mirari hoc poſſumus, quum aeque ad foedam ac deteſtandam hominum, quam feminarum libidinem explendam comparati fuerint. Curt. lib. X. cap. I. 25. Sueton. in vita Ner. Claudii Caeſ. cap. XXVIII. Martial. lib. VI. Epigr. LXVII. Fiebat autem hoc apud Perſas eo fine, ut pulcritudo, cujus admodum amantes fuerunt Perſae, diutius conſtaret. Briſſon. de regn. Perſ. lib. II. §. CLIV. A παιδεραστίᾳ enim Perſas vindicat Ammian. Marcellin. lib. XXIII. cap. VI. p. 295. & Orſines apud Curtium lib. X. cap. I. 26. dicit *ſe amicos regis*, Alexandri ſcil., *non ſcorta colere: nec moris eſſe Perſis mares ducere, qui ſtupro effeminarentur.* Unde eos, qui muliebria paſſi fuerant, Perſis contemtui fuiſſe, ſatis conſtat.

Nec tantum formoſos, verum & bene armatos Romae quaeſitos fuiſſe, quos adultos perito ſecandos traderent dominae, teſtis eſt Juvenalis Sat. I. ℣. 365. & ſeqq.

Sunt

Sunt, quas Eunuchi *inbelles, ac mollia ſemper*
Oſcula delectent, & deſperatio barbae,
Et quod abortivo non eſt opus. illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo ſpectatos, ac juſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam coeperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conſpicuus longe cunctiſque notabilis intrat
Balnea, nec dubie cuſtodem vitis & horti
Provocat a domina factus ſpado.

Quae inmoderata caſtrandi libertas a variis Rom. Imperatoribus fuit co-hibita. De *Domitiano* enim ſcribit Suetonius in ejus vitae cap. VII. *Ca-ſtrari mares vetuit*, Spadonum ; *qui reſidui apud mangones erant, preci-moderatus eſt.* quod idem luculento teſtimonio confirmat Ammianus Mar-cellinus lib. XVIII. cap. IV. p. 150. Martialis. Epigr. II. lib. VI.

Luſus erat ſacrae connubia fallere taedae:
Luſus & inmeritos exſecuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Caeſar, populiſque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude jubes.
Nec ſpado *jam, nec moechus erit, te praeſide quiſquam.*
At prius (ô mores!) & ſpado *moechus erat.*

Homines caſtrari vetitum eſt quoque SCto & Divi Hadriani edicto Le-ge IV. §. ult. ff. ad leg. Corn. de ſicariis, ubi in Medicum vel Chirurgum caſtrantem, & ipſum, qui ſe ſponte excidendum praebuit, eadem & qui-dem capitis ſtatuitur poena. Nec injuria: publice enim intereſt integro habere homines, qui civitatem liberis hominibus legitime repleant; ſectio autem Eunuchorum, praeterquam quod procreandi vim adimebat, ipſi caſtrandis vitae creabat diſcrimen; refert enim ex Hieronymo Saldenus in diſſert. ſaepius laud. §. XXI. ex *nonaginta* vix *tres* fuiſſe ſalvatos. Sic & qui-dam Medicinae Doctor, unus eorum, quorum amicitiam Academica mi-hi conciliavit vita, mihi narravit, ſe ex omnibus, quotquot per aliquot, quos Lutetiis Pariſiorum tranſegit, menſes morborum cauſa caſtratos vi-derat, unicum tantum noviſſe, qui incolumis evaſerat. Hoc autem forte debilitati, quam ex morbis praecedentibus, plerumque venereis, contraxe-rant, adſcribi poſſet: utique tantum de adultis verum erit. Iis enim, qui quintum decimum ſuperarunt annum, valde periculoſam eſſe teſtium ex-ſectio-

ctionem, uti ex *quatuor* vix *unus* evadat, dum interim ſecura ſatis ſit
i parvulis infantibus, ſcribit Chardin Voyag. T. VI. chap. XIV. Nec mi-
um, ſi inmanibus, quos hanc operationem excitare omnes uno ore ad-
rmant, doloribus cedere cogantur. Ut autem doloris acerbitatem non ſen-
ant ἐνεχιζόμενοι, adeoque magis ſecura ſit operatio, Turcae magnam o-
i copiam exhibentes profundiſſimum illis ſomnum conciliarunt: Aſſyrii
ero ipſos in balnea demittere, ac ſupinis venas, quae circa guttur ſunt,
apoplecticae vocantur, adprehendere & ligare, atque ita ſenſu omni ac
otu privare, ex uſu judicarunt. vid. Paul. Zacchiae lib. II. Quaeſt. Med.
eg. Tit. III. quaeſt. VII.

Partes quas adimebat Caſtratio, diximus eſſe Teſtes: quod ex laud. ſu-
rius locis abunde patet. Non autem nos latet, quod poſteriori tempo-
non tantum teſtes, ſed & ipſum colem & ſcrotum ſimul praecidi juſſe-
inmanis Turcarum barbaries. v. Zacch. l. c. J. C. Scaliger. de Subtil.
xerc. CIV. ſect. 8. Auger. Giſlen. Busbequius Legat. Turcicae Epiſt. III.
d. Pariſ. 1695) pag. 76. *Qui potentiores ſunt, & frequens habent gynae-
um, ejus cuſtodiae Eunuchos adponunt, non modo teſtibus captos, ſed toto
e. alioqui ſimplicibus Eunuchis ſe parum tuto mulieres ſuas putant commit-
e, quod eis ſuperat, quo delectare poſſint, quamvis ad generandum non
t pares.* Cum mulieribus etenim cubaſſe, & nonnunquam, ſicut moechi
ent, venerea exercuiſſe, ſatis jam conſtitit. Forſan ipſi, qui primus
er Turcas hoc inſtituit, non ignota fuit Ariſtotelis obſervatio, quam
dit in Hiſt. Anim. l. III. cap. I. ſect. XX. & lib. IX. cap. LXXIX. ſect.
XXVII. boves ſcil. aliquando vaccas impraegnaſſe, illos nimirum, qui
trati adulti, & ſtatim admiſſi fuerunt. Hujus ſiquidem rei notitia ſu-
cionem ac metum augere poſſet.

Teſtes, numero ut plurimum duo, ſunt corpora utcumque ovalia, ex-
abdomen in ſcroto locata; & conficiendo ſemini dicata.

Liquidum, unde fabrica didymorum ſemen ſecernetur & praeparabitur,
erunt arteriae ſeminales, ſatis exiles, ex aortae parte anteriori ſub e-
lgentibus oriundae, quae in deſcenſu ſuo multos canales laterales emit-
t, donec cum venis ſpermaticis ad ſcrotum pervenientes, poſtquam
didymidi vaſa dederunt, non eodem ſemper modo in teſtes abſumantur,
umque corpus, in ſubtiliſſima diviſae filamenta, pro parte conſtituant.
c & accedunt nervi a plexibus nervorum pelvis & lumbaribus, quos
idi nonnihil concurrens ad ſemen conſtituendum ac perficiendum ad-
e, a quibuſdam in arte Medica conſummatis viris non inprobabile ha-
ur. v. Ettmuller. T. II. p. 981.

Ex teſtibus vero oritur canalis quidam, vas deferens adpellatum, quod
flexus innumerabiles complicatum, unitum paraſtatam ſive epididymi-

da conſtituit, & humorem genitalem a teſtibus defert ad veſiculas ſemin
les, in quibus ſemen conligitur, mutatur, inſpiſſatur & ſecundum nat
ram adſervatur, donec prae copia continentes ad excretionem ſtimul
partes, per urethram, in qua ipſi liquor proſtatae admiſceri conſuevi
emittatur, atque in uterum muliebrem inmittatur, prolis ſuſcitand
cauſa.

Eſt autem Semen liquor albeſcens, glutinoſus, a ſanguine, qui ren
ſimilis pauca copia ſimul per arterias ſpermaticas advehitur, ope teſti
ſecretus, in paraſtata ulterius fotus, per vas deferens ſenſim mutatus,
latuſque ad veſiculas ſeminales, ibique mora convenienti notabilem ſpi
tudinem atque albedinem adeptus, & in ſummam ſuam perfectionem e
boratus, forte & a nervis aliquid accipiens; ad tempus congreſſus adſervand
& ad generationem deſtinatus. Huic ſemini, ſi dilutum aqua microſcopio co
ſpexeris, animalcula quam plurima, vermiculorum inſtar, innatare obſ
vantur, quae utrum ſtamina futuri foetus, an vero de eadem, qua re
riundi in multis aliis liquidis vermiculi, natura cenſenda ſint, perſpicac
ribus determinandum relinquemus.

Diximus ſemen eſſe liquidum glutinoſum. Qua de re quaeritur, utr
adlatus per arterias ſpermaticas liquor ſit magis glutinoſus, quam qui
alias corporis partes devehitur: an vero glutinoſitas ſeminis dependea
fabrica partium σπερματοποιητικῶν. Prius veri ſimile non videtur, quoni
ſanguinem, qui datur arteriis ſpermaticis, non multum a renali diffe
poſſe ex ortu earumdem arteriarum adparet. Poſterius itaque erit adm
tendum. Videndum erit idcirco, quo modo haec res perficiatur. Ut h
pateat, quaedam alibi demonſtrata adſumemus. I°. Tenaciores & glu
noſiores quandoque ſecernuntur humores, quam qui remanent in circ
tu. II°. Glutinoſitas liquidi non dependet a magnitudine partium conſ
tuentium, ſed a vi, qua cohaerent. III°. Ergo ad talem ſecretionem r
quiritur cauſa, quae efficiat, ut partes tenacius cohaereant ſeparatae, qua
ante ſeparationem. Ea ſtatuitur non una, quae hunc effectum produce
valeat. Prima, quae in noſtro poſſet obtinere caſu, auctae in liquido ſec
to glutinoſitatis cauſa eſt tardior motus in vaſculis ſecretoriis. Retardari
nim hic humorum motum, imo illos hic tardiſſime propelli, tota clam
τῶν τῆς σπερματοποιήσεως ὀργάνων ſtructura. Quod autem inminutus humoru
noſtrorum motus dictum ſortiatur effectum, nemo negabit, qui eorum
dem naturam bene noverit. Conſtat enim omnes fere humanos liquor
ſola vaſorum actione & continuo motu fluidos conſervari, quieſcent
vero ſtatim concreſcere, h. e. majorem adquirere cohaerendi vim. Alte
cauſa poteſt eſſe, quaecumque valet efficere, ut partes, quae majore cu

ſe invicem cohaerendi niſu gaudent, propius ad ſe mutuo accedant, & dein plures numero ſeſe attingant. Attractio enim, quae in ipſo particularum contactu perquam magna erat, ſubito decreſcit ita, ut ad diſtantiam quam minimam, quae ſub ſenſus cadit, non agat. Dein cohaeſionis firmitas ſequitur numerum punctorum contactus. Sic videmus corpora quaedam, quamdiu vehiculo quodam diluuntur, fluidiſſima abstracto menſtruo in ſolidiſſima redigi: & contra quasdam firmiſſime in ſolidum corpus conjunctas particulas addito, cujus non adeo magna copia requiritur, menſtruo ita dividi, ut fluidiſſimum exhibeant liquorem. Si nunc conſideremus conſtituturas ſemen particulas, dum per ſeminales arterias adferuntur, permiſtas eſſe noſtris omnis generis liquidis, ab iis in venas maximam ſanguinis partem abſcedere, eaſque porro ferri per arterias quam ſubtiliſſime diviſas, deponi in medium teſtis, &, dum inde ad ſeminales tardiſſime avehuntur veſiculas, ut & in ipſis illis ſeminis apothecis ſubtiliſſimas amittere particulas, per lymphatica vaſa reſorbendas, facile erit intellectu, quo modo a ſanguine non adeo glutinoſo ſemen, tenacius liquidum, ſecerni poſſit. Nec obſtat, quod ante diximus, adlatum per ſpermaticas arterias liquorem non eſſe glutinoſiorem, quam qui ad alias corporis partes devehitur: ſufficit enim, ſi ſimilis nullibi detur in corporis fabrica, quae has potius, quam alias, a ſanguine particulas ſecernat. Quasdam interim liquidorum noſtrorum partes majori, quam qua gaudent aliae, ſecum invicem cohaerendi niſu praeditas eſſe, exinde patere videtur, quod quidam tantum, non omnes, ſecreti humores in quiete concreſcant. Haec autem maxime glutinoſa ſanguinis pars optima habetur ideo, quod eadem ad nutritionem aptiſſima credatur. Quamprimum enim ſanguis concreſcendi amiſit vim, totus quantus depravatur & corpus nutriri deſinit: juſtam reſtituas humoribus tenacitatem, optime iterum procedit nutritio. Docuerunt interea obſervationes Medicae, quod nimiae ſeminis evacuationi ſuperveniant aliquando macies & ſiccitas, imo ipſa tabes dorſalis, (deſcripta ab Hippocr. lib. II. de morbis §. XLIX.) dum ex hypotheſi haec nutritia a partibus nutriendis derivatur materia, & per ſeminis vias eliminatur.

Illi autem, qui ſtatuunt ſpiritus nervoſos partem ſeminis conſtituere, dicunt nutritionem ope nervorum abſolvi, adeoque ipſius defectum ea de cauſa ſequi nimiam venerem, quia per hanc nervis ſuus ſubducitur ſuccus. His praeter ea favere videtur, quod capitis & nervoſarum potiſſimum partium adfectiones poſt nimiam geniturae excretionem homines vexare conſueverint: laſſitudo ſcil., debilitas, (quae pro cauſa minutae perſpirationis poſt coitum inportunum habetur a Sanctorio ſect. VI. §. III.) membrana-

rum cerebri dolores & calores, ſenſuum, maxime viſus debilitas & h
betudo, imo ipſa fatuitas. Boerhaav. Inſtit. § 776. Quum autem ſimil
effectus ab Epilepſia produci conſtet (Boerhaav. Aphoriſm. §. 1077.) po
ſent hi forſan deduci a vehementi, qui in coitu fit, totius corporis mot
unde & coitus quibusdam Medicis & Philoſophis, in ſpecie Democrit
epilepſia parva vocari ſolet. Galen. ad Hipp. Epidem. lib. III. comm.
Aegr. I. p. 207. T. IX. (Ed. Charter.) Ettmuller. T. II. p. 875. Quin & *co
poris illam agitationem, inſtar canum, magis nocere, quam ſeminis emiſſi
nem: quum haec ſolum viſcera, illa omnes nervos & viſcera defatiget*, ſcr
bit Sanctorius ibid. §. XXXIX. De hac ſeminis ſecretione, ejuſque materia vari
agens locis Hippocrates non admodum ſibi conſtare videtur. vid. in prim
lib. περὶ γονῆς cap. I & II. de ſtructura hom. ad Perdiccam. cap. VI. π
φλεβῶν. cap. XXI, XXII, XXIII.

Maxima ſanguinis (uti jam coepimus dicere) per arterias ſpermatic
adlati pars, ante quam ad ipſos perveniat teſticulos, abſcedit in lateral
arteriarum ramos, communicantes cum ſimilibus ramulis venarum ſemin
lium, quarum origo non adeo quidem conſtans eſt, quam arteriarum c
gnominum, plerumque tamen dextra ex vena cava ſub renali, ſiniſtra e
emulgente ejuſdem lateris vena procedit. Humorem reliquum, qui a
ipſos teſtes delatus ſecretioni tamen non inpenditur, ab ipſorum corpo
reducunt dictarum venarum ſpermat. ſubtiliſſimae origines, uti & vaſc
la lymphatica. Quin & toto illo itinere, quod ſemen, didymorum
ctionem jam expertum, conficere quam tardiſſime debet, videtur adſidu
quaedam humoris genitalis, & quidem ſubtiliſſima, pars reſorberi hiant
bus minutiſſimorum vaſculorum orificiis, per ea reduci in venas majore
ſicque iterum humoribus reliquis admiſceri; & cum iis circuitum per t
tum corpus abſolvere, in primis in illis, quibus elaboratum diu retinet
ſemen. Unde inſignis illa, quae tempore pubertatis, univerſae huma
corporis oeconomiae contingit, mutatio deducenda videtur; niſi for
ab eadem, unde illa oritur permutatio, cauſa corpus ad foecundi ſemin
elaborationem idoneum reddatur. Interim de his, quae ad ſecretione
ſeminis ſpectant, plura videri poſſunt apud Michelottum de ſeparat. flui
in corp. animali, pag. 272, 273. Boerhaav. Inſtit. cap. de ortu ſem. maſ
& de Gorter de ſecretione. unde, quae ad ſcopum noſtrum facere vide
bantur, praecipue deſumſimus.

Definita autem aetate totus corporis habitus mutatur: cutis, quae a
te laevis & glabra erat, tota fere hirſuta evadit; in primis vero circa p
denda, axillas & mentum denſi incipiunt prodire pili: vox ex acuta i
gravem, ex puerili in virilem mutatur: ex pavidis & parvi animi hom
nibus fortes magnanimique redduntur: quin & hoc tempore, quo ſ
m

minis foecundi copia eos ad generandam prolem idoneos reddit, imo partes, quibus coërcetur, ad excretionem ſolet ſtimulare, animus quoque ad libidinem inſtigari incipit.

Quin omnia haec magnam ad σπερματοποίησιν habeant relationem, ſive illa ſit cauſa, ſive non, in dubium vocari nequit, dum non tantum in pueris ante, quam ſemen conficitur foecundum, non adparent, verum quoque in iis, quibus, maturior licet ſit aetas, ſemen non elaboratur, omnia hiſce fere contraria obſervantur: quod optime patebit, ſi praecipuas, quae ſe ſolis in Eunuchis contemplationi exhibent, adparitiones recenſeamus.

I. Obſervatum eſt, quod οἱ Εὐνοῦχοι ſint ἄγονοι, *ſeminis expertes*, *ſteriles*, quippe quibus ſecernentia τὴν γονὴν ablata ſunt organa. Hippocr. lib. περὶ γονῆς cap. III. Unde & Scythae, partibus licet ſpermatopoeis praediti, a continua equitatione ἄγονοι facti, εὐνουχοειδέστατοι τῶν ἀνθρώπων dicuntur eidem Auctori l. ſuperius cit. Non negamus interim Eunuchos qualemcumque celebrare potuiſſe coitum, & humorem quemdam, quibuſdam falſo pro ſemine habitum, in ipſo veneris exercitio ejaculatos fuiſſe. Notavimus enim ſupra, ſemini ex veſiculis ſeminalibus integrorum hominum in urethram venienti admiſceri proſtatae liquidum, quod poſt teſtium exsectionem praeparari quidem & excerni ſolet, ſeorſum autem nunquam foecundum obſervatur. Arrigere interim Eunuchos, non adeo mirari poſſumus, quum & puerulis ante pubertatis annos nonnunquam tendatur veretrum. Imo ipſum proſtatae liquidum hujus rei cauſa ſtatuetur ab iis, qui Galeno adſentiunt, hic enim lib. XIV. de Uſu partium cap. XI. de praeparato in iſthac glandula liquore agens, οὐ μόνον (inquit) ἐπεγείρει πρὸς ἀφροδίσια τουτὶ τὸ ὑγρὸν, ἀλλ' ἥδει τε ἅμα κατὰ τὴν ἔκκλισιν. --- καὶ Εὐνούχοις τὸ τοιοῦτο ἡδονήν τέ τινα παρέχειν φαίνεται ἐκδεχόμενον.

II. Sunt glabri ac laeves toto corpore generatim, ſed, quod praecipue notandum, non exceptis quidem illis locis, quibus ceterum nobis adultis ſeu puberibus copioſi ac longiores excreſcere ſolent pili, ad mentum ſcil., axillas, ac pubem, ſi nimirum, dum pueri ſunt, caſtrantur. Hippocr. περὶ φύσιος παιδίου cap. XIIX. Ὁκόσοι δὲ Εὐνοῦχοι παῖδες ἔοντες γίνονται, διὰ τοῦτο οὔτε ἡβῶσιν, οὔτε γενειῶσι, λεῖοί τε γίνονται ὅλοι· ὅτι ἡ ὁδὸς τῇ γονῇ οὐκ ἐπιγενομένη οὐκ ἀραιοῖ τὴν ἐπιδερμίδα ἐπὶ τῷ ξύμπαντι δέρματι. &c. Ariſtot. lib. IX. cap. LXXIX. §. 530. de caſtratione animalium agens, inquit: ἐὰν μὲν γὰρ παῖδας ὄντας πηρώσῃ τις, οὔτε αἱ ὑστερογενεῖς ἐπιγίνονται τρίχες. Galenus lib. I. de ſem. cap. XV. Ἀποψύχονται γοῦν οἱ ἀπολέσαντες αὐτοὺς (ὄρχεις) ἑτέραν ἀρχὴν ἐμφύτου θερμότητος ἀφῃρημένοι· --- θερμότη-

μότητα πολλὴν παρέχουσι τῷ σύμπαντι σώματι, δι' ἣν οἱ στερηθέντες αὐτῶν, ἄτεχοι μὲν οὐ τὰ γένεια μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ σύμπαν γίνονται σῶμα. v. & Lud. Cael. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. XIX. cap. XII. Hac de cauſa Diocles apud Lucianum in Dialogo, qui inſcribitur Εὐνοῦχος, adſerit Eunucho non licitum eſſe philoſophiam docere, quum philoſopho habitus externus decorus, & corporis integritas adeſſe debeat, maxime vero *promiſſa* gerenda ſit *barba*. Habet Ariſtoteles obſervationem lib. III. Hiſt. Anim. cap. X. §. CXLIII, quae cum hiſce omnino conferri meretur: Γίγνονται δὲ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἐκ γενετῆς ἐνδεεῖς τῶν ὑστερογενῶν τριχῶν ἅμα καὶ ἄγονοι, ὅσοι περ ἂν καὶ ἥβης στερηθῶσιν. Hoc & confirmat Plinius Natur. Hiſt. lib. XI. cap. XCIV. *Pubeſcit homo ſolus, quod niſi contigit, ſterilis in gignendo, ſeu maſculus ſeu femina.*

III. Manent ὀξύφωνοι, ſi inpuberes fuerint exſecti. Ariſtot. l. c. non modo capillos non prodire dicit, ſed addit: οὔτε ἡ φωνὴ μεταβάλλει, ἀλλ' ὀξεῖα διατελεῖ. Qualem Eunuchorum vocem θηλυκὴν vocat Idem Problem. ſect. X. probl. 38. λεπτὴν Lucian. in Eun. *inquinatam* dicit Val. Max. lib. VII. cap. VII. *fractam* Juvenal. Sat. II. ℣. III. qui Eunuchos adpellat *raucam cohortem* Sat. VI. ℣. 515. Hoc autem his commune eſſe cum omnibus, qui ſemine carent, ut ſunt pueri, mulieres, ſeneſque decrepiti, notat Lud. Cael. Rhodig. l. c., ubi & in cauſam hujus rei inquirit, quam utrum attigerit, nunc noſtrae non eſt indagationis. Addiderim potius Fel. Platerum Quaeſt. Phyſiolog. VI. in iis, quae hactenus N. II & III. adfirmavimus convenire cum laudatis Auctoribus, ſed ab Ariſtotele tamen quodam modo diſſentire. Philoſophus enim lib. IX. §. 530. ſic pergit: ἂν δ' ἤδη ἡβῶντας (πηρώσῃ τις) αἱ μὲν ὑστερογενεῖς τρίχες ἀπολείπουσι, πλὴν τῶν ἐπὶ τῆς ἥβης αὗται δ' ἐλάττους μὲν, μένουσι δέ. Platerus vero dicto loco adfirmat, *quod pili tempore pubertatis creſcere ſoliti, ſi jam geniti ſint, & poſt ea caſtretur homo, non amplius amittantur, cum firmiter corpori haereant.* Addit quoque *hoc in caſu vocem non mutari.* Controverſiam hanc dirimere non adeo facile eſt, dum in his terris non tam frequentes inveniantur Eunuchi, nec tam varia exſecti aetate, ut ſufficientes conligere atque comparare valeamus experientias; praeter ea, ſi qui adhuc ſint, non lubenter ſeduli harum rerum indagatoris curioſitati ſatisfaciunt. Juvat interim narrare hiſtoriam, quam ab H. Boerhaave, relatam audivi. Erat nimirum vir quidam robuſtus admodum, cui, dum caſtra ſequebatur, contigit, ut globo tormenti bellici bini teſtes abriperentur. Quid fit? barba ipſi non quidem excidit tota, verum poſtea, cum forte Boerhaavium viſeret, multo minus denſa adparuit, quam pro ratione temperiei ipſius, abfuiſſet hoc infortunium, eſſe debuiſſet. Quod autem maximopere dolebat vir generoſi animi, vocis tenuitas ipſum unicuique & palam Eunuchum pronuntiabat

bat. Quid? nonne jam inclinare incipis, L. B., ad Ariſtotelis ſententiam amplectendam? nonne jam concludis, cui annus unus vel alter rariorem reddiderat barbam, temporis tractu totum mentum laeve ac pilis omnino orbum evaſiſſe? verum exſpecta tantillum, & minus firmam tuam ipſe judicabis opinionem. En igitur alterum hominis, qui caſtratus fuit adultus, habeto tibi exemplum. In hac urbe quidam ante aliquot annos fabri aerarii fuit famulus, cui, dum ſtipendia merebatur, in praelio bombarda gemellos vel uno a corpore ſeparaverat ictu, vel tanta adfecerat moleſtia, ut poſtea abſcindendi fuerint: hic homo etiam xxv. annos poſt illatum damnum denſiſſima nigraque barba inſignis, virilique voce gaviſus fuit. Hujus rei mihi fidem fecit H. Ooſterdyk Schacht, qui hunc hominem ſaepius & vidit, & loquentem audivit, &, ne fraudis ſuſpicio relinquatur, ipſos teſtes hujus Caſtrati, quos in capſula ſecum geſtabat, plus ſimplici vice manibus ipſe ſuis contrectavit. Sic & Anglo illi, quem ſuperius ſe ipſum eviraſſe diximus, pilis ornatum vidi mentum: voce ſatis maſcula loquebatur non tantum, imo vero nullam omnino ſono, quem edebat, accidiſſe poſt exſectionis tempus mutationem, ex ipſo, cui operam ſuam locavit, horologopoeo intellexi: utrum autem ante caſtrationem frequentior fuerit ac denſior, ex faciei cute prodeuns, pilorum ſylva, reſciſcere non licuit. Plura in hanc rem proferre vetat altiſſimum Obſervatorum circa eamdem ſilentium. Vides itaque, H. L., ex tam paucis ac tantopere diſcrepantibus obſervationibus generalem regulam elici non poſſe, donec forte ſerior aetas plura ac certiora docuerit.

IV. *Scrotum*, quod in integris viris nullam exhibet pinguedinem, niſi raro in obeſiſſimis, tumque adhuc parum admodum, ad ſuperiorem ejuſdem partem, *ſcrotum* (inquam) *Eunuchorum nonnunquam undequaque pingui repletum videre eſt.* Fred. Ruiſch. Reſp. ad Epiſt. problem. I. Conſuevit enim natura, ubicumque in noſtra machina vacuus corpore locus relinqueretur, incommodum inde oriturum depoſito illic pingui avertere: quod eo magis in Eunuchis contingit, quo omnia caſtrata animalia facilius ac citius, quam integri, opima evadunt. Hoc quoque mihi adparuit in Anglo illo Eunucho, qui, cum ante caſtrationem gracilis ac macilentus ultra modum fuiſſe perhibeatur, nunc optimo gaudet habitu, & prae diſtendente panniculum adipoſum pinguedine nitet.

V. Corporis colorem in variis nationibus varie mutat caſtratio. Candidi enim qui fuerint ante, quam mutilati eſſent, quales ſunt, qui ex Georgia & Circaſſia ſunt adlati, & qui exteriora gynaecei apud Perſas hodie cuſtodiunt, nunquam a feminis conſpiciundi (Chardin Voyag. T. 1.) admodum lentiginoſi evadunt, ut referant maculoſum Stellionis colorum. Quibus vero fuſcus antea fuerit color, poſt ea fit ſublividus, uti in

in iis, qui ex variis Orientalibus locis oriundi ſunt, adparere poteſt, u corum cutis Muſtelarum colorem prae ſe ferat. v. Donat. ad Ter. Eun Act. IV. ſc. IV. ℣. 22, ubi Terentius *Eunuchum colore muſtelino* dixerat non bene intelligens Menandrum, ut quidem Donatus cenſet.

VI. Quid autem ſingula referam? cum univerſum Caſtratorum corpu adeo a priori integritatis ſtatu recedens, a virili inmane quantum diſtet ad femininum vero aliquantum quidem adpropinquet, nequaquam ta men eo uſque, ut feminis toti quanti ſimiles evadant Caſtrati. Ariſtot. Sect x. Problem. 38. Adeo ut tertium quoddam animalium genus conſtituer videantur Eunuchi ab utroque ſexu diverſum, cui & ſimiles evadant Eu nuchae, juxta Galenum lib. I. de ſem. cap. XVI. A. Ratione habitus ex terni differentia Exſectorum a viris patet ex ſolo adſpectu, cum toti mol liores laxioresque adpareant. B. Augmenti ac creſcendi modo aeque viris quam a feminis recedunt: nam, ut notat Ariſtoteles l. c., ad viro quidem longitudine, quippe quae in his ſolet eſſe, quam in feminis major, adpropinquant, latitudine vero iisdem cedunt, & feminis ſimi liores ſunt. Ubi forte Philoſopho de humerorum regione ſermo eſt comparate ad pelvis latitudinem. Etenim ex nobiliſſimo Viro, qui ali quamdiu in Italia moratus fuit, intellexi, ipſum obſervaſſe, quod Eunu chi, ſi vel a tergo conſpiciantur, inde a viris dignoſci poſſint, quod ad lum bos & pelvim multo latiores adpareant. Hoc autem ut feminis bene na tis proprium non neglexerunt antiqui ſtatuarii, cum viris fortibus ac ro buſtis magnam humerorum tribuerint diſtantiam. Γ. De robore viril per mutilationem hanc quoque multum decedit, uti ad ſervitia me chanica nimis debiles evadant Eunuchi. Galen. lib. I. de ſem. cap. XV Ἀπόλλυται δὲ τῶν ζώων (τῶν ἐκτμηθέντων) οὐ τὸ σπερμαίνειν μόνον, — ἀλλὰ καὶ ἡ ἀνδρεία τε, καὶ, ὡς ἂν εἴποι τις, ἀῤῥενότης. Dein. ἀλλ' ἐ ἀσφαλὴς ἡ τομὴ, συνεκτέμνουσα τοῖς ὄρχεσι τὴν ἰσχὺν τοῦ σώματος ἅ παντος. Et paulo poſt: καταπίπτει πᾶς ὁ τόνος αὐτοῖς, ὡς εἰ καὶ γεγη ρακότες ἔτυχον· οὔτ' εὐρεῖα φλὲψ, οὔτ' ἀνθηρὸν αἷμα, καὶ ἀρτηρίαι μι κρὸν καὶ ἀῤῥωστέως σφύζουσιν, ὥσπερ τοῖς γέρουσιν. ὥστε καὶ ῥώμης ἀρχὴ τοῖ ζώοις εἰσὶ (οἱ ὄρχεις.) Ovid. lib. II. Amor. Eleg. III. verſ. 7.

Non tu natus equo, nec fortibus utilis armis:
Bellica non dextrae convenit haſta tuae.
Iſta mares tractent: tu ſpes depone viriles.

Chardin Voyag. T. VI. chap. XIV. licet in contraria verſetur ſententia Cyru apud Xenoph. Κυροπαιδ. lib. VII. Δ. Imo totam corporis compagem mu

ta

ri docent, quae menſis adponi ſolent caſtrata animalia. Horum enim carnibus novus omnino ſapor & odor conciliatur, quo fit, ut guſtui magis llubeſcant, quam integrorum, quae ſemper grave quoddam virus acertatis evomunt. Quod Galeni teſtimonio lib. I. de ſem. cap. XV. confiratur, cujus quidem verba, cum plane pro nobis rem conficiant, hic ponemus: Πρὸς τοῖς εἰρημένοις (inquit) κἀκεῖνα τ͂ ὄρχεών ἐστιν οὐ σμικρὰ τεκμήρια τ͂ ὅλου τοῦ σώματος ὑπ' αὐτοῖς ἀλλοιώσεως. οὐ μόνον γὰρ ἡδίον ἐστὶ τὸ κρέας τ͂ εὐνουχισθέντων ἱερείων, ἀηδέστερον δὲ τὸ τ͂ ἀτμήτων· ἀλλὰ καὶ ἡ ποιότης αὐτὴ τ͂ σαρκῶν ὅμοιόν τι τῇ τ͂ ὀρχέων ἔχει ποιότητι, βαρύβρωμώδης, ὡς ἂν οὕτω τις εἴποι, μέχρι καὶ τ͂ κατὰ τὴν ὀσμὴν ὁμοιότητος. & Petrum Caſtellianum de differentiis carnium particularibus lib. I. p. IV. Dein idem hoc notum evadit inde, quod Eunuchi (α) quibuſm morbis, qui nonnunquam homines integros invadunt, magis ſint noxii, (β) ab aliis vero vel rarius periclitentur, vel omnino libeobſerventur. Quod ad primum adſertum attinet, Ariſtoteles ſect. Probl. 45 notat, quod οἱ Εὐνοῦχοι ἑλκώδεις τὰς κνήμας ἴσχουσι καὶ σακεῖς, quod idem mulieribus familiare eſſe adjungit. Et Terentius in n. Act. IV. ſc. IV. ℣. 21. Eunuchum vocat *veternoſum*, ubi Donatus *Venoſus*, inquit, *i. e. morbo vetere confectus, h. e. veterno: quales ſunt, qui lrope laborant. Et recte: nam ſaepe Eunuchi in ſenecta veternoſi fiunt & hoc morbo laborant.* Alterum propoſitionis membrum probat Hippocr., n dicit: Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίγνονται, quod mox exanabimus. & Ariſtot. ſect. X. Probl. 40. Οἱ Εὐνοῦχοι ἢ ὅλως οὐκ ἴσχουσιν, ἧττον ἰξίας. Nec etiam *Elephantiaſi* corripiuntur, teſte Aëtio lib. XIII. Coronidis loco adjungam notabilem hiſtoriam quam tradidit Dion Caſſ Coccejanus in vita Trajani, ſive Hiſtoriae Rom. lib. LXVIII., ubi, tquam de lacu bituminis letiferum exhalante odorem, quem Trajanus ylone invenerat, erat locutus, ſic pergit: Εἶδον ἐγὼ τοιοῦτον ἕτερον ἐν απόλει τ͂ Ἀσίας, καὶ ἐπειράθην αὐτοῦ διὰ ὀρνέων, αὐτός τε ὑπερκύψας, καὶ αὐτὸς ὑπεριδὼν τὸ πνεῦμα. κατακέκλεισται γὰρ ἐν δεξαμενῇ, καὶ θέατρον ὑπὲρ αὐτοῦ ᾠκοδόμητο. φθείρει τε πάντα τὰ ἔμψυχα, ὴν τ͂ ἀνθρώπων τ͂ τὰ αἰδοῖα ἀποτετμημένων. οὐ μὴν καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ συννοῆσαι ἔχω. λέγω δὲ ἃ εἶδον, ὡς εἶδον, καὶ ἃ ἤκουσα, ὡς ἤκουσα. us adnotationis memoria forte ſempiterna deleta fuiſſet oblivione, niſi dem conſervaſſent Joannis Xiphilini Excerpta. v. Dion. p. 784. Ed. nnis Leunclavii, Hanov. 1606.

Cujus obſervationis fidem quidam habent ſuſpectam. Verum non video, hoc minus fieri poſſit, quam, quod ſcribit Dionyſ. Halicarn. Antiq. n. lib. IX. p. 597. (Ed. A. 1691.) morbum ſcil. peſtilentem invaſiſſe

ſolas mulieres, in primis gravidas, unde inmaturos ac mortuos excludebant foetus, & ipſae parientes exſtinguebantur: vel, quod ex eo refert Boyle, peſtem aliquando ſaeviiſſe, quae ſolas virgines e medio tollebat: quod teſtatur Cardanus de peſte Baſileae exorta, qua ſoli Helvetii, non vero Itali, Galli, Germanive inficiebantur: cui ſimile commemorat exemplum Johannes Utenhovius. v. Robertum Boyle de latentibus aëris qualitatibus pag. 12.

VII. Antequam ad ulteriorem Aphoriſmi noſtri conſiderationem pergamus, reſtat, ut videamus, quid de Eunuchorum ingenio, moribusque tradant Auctores. Ab eo autem, quod proxime ad caſtrationem pertinere videtur, incipientes, notamus, quod plerique adfirment (α) Eunuchos eſſe libidinoſiſſimos, unde Pythias apud Ter. in Eun. Act. IV. ſc. III. *pol ego amatores mulierum eſſe audieram eos maxumos, ſed nihil poteſſe.* & paſſim vocantur θηλομανεῖς, γυναικομανεῖς &c. Hippocrates vero lib. περὶ γο[...] cap. III. ſcribit, quod οἱ Εὐνοῦχοι οὐ λαγνεύουσιν. & Galenus lib. I. de [...] cap. XV. ait: Οἱ στερηθέντες τῶν ὄρχεων —— οὐκ ἐπιθυμοῦσιν ἀφροδισίων, ὡς ἄ[...] τι μᾶλλον, ἢ ζῶον ὑπάρχοντες. Ut Auctores hi concilientur, ex uſu erit [...] diſtinguere inter Εὐνούχους & Θλαδίας καὶ Θλιβίας. Scribit enim P. Aegin[...] lib. VI. cap. LXVIII. Οὗτος ὁ τρόπος (εὐνουχισμοῦ καὶ ἐκτομῆς) [...] κατὰ θλάσιν προκέκειται· οἱ γὰρ, τεθλασμένοι ποτὲ συνουσίας ὀρέγοντ[...] μέρους τινὸς, ὡς ἔοικε, τῶν διδύμων ἐν τῇ θλάσει διαλανθάνοντ[...] Forte & varia ipſorum Eunuchorum, qua exſecti fuerunt, aetas hic diſcrimen aliquod pariet. v. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. XIX. cap. [...] & Zacch. l. cit. Addi quoque poteſt hiſtoria, quam tradit J. Wierus [...] praeſtigiis Daemonum lib. IV. cap. XX. §. 6. *Alia profecto ratione uſus Methodius, ſi Zonaras fidem meretur Tom.* III. *Annalium, qui de ſtu[...] accuſatus, purgat ſeſe monſtratis virilibus exſiccatis. Interrogatus autem [...] cauſa, narrat ſe, cum Romae fuiſſet, nimio Veneris aeſtu concitatum, o[...] ſe Petrum & Paulum, ut ſibi, ne de caſtitate periclitaretur, ſuccurrere[...] ac nocte eos comparuiſſe, & attrectatis pudendis, omnem libidinis adpetenti[...] ſuſtuliſſe.* (β.) Dein vindictae cupidiſſimos Caſtratos eſſe notatur. V[...] exemplum *Philetaeri* ſuperius ex Strabone deſumtum, & *Bagoae* illius [...] pud Curtium lib. X. cap. I. In primis crudeliſſimas ſemper poenas ſum[...] conati ſunt ab iis, quorum ope caſtrati fuerant. Audito hiſtoriam m[...] morabilem *Hermotimi.* Hic, quum a Panionio Chio, de quo ſupra di[...] mus, exſectus apud Xerxem Regem maximo eſſet in honore, diu p[...] iter faciens caſtratorem invenit, & ſimulatis blanditiis id effecit, ut c[...] uxore ac liberis Panionius ad ipſum conmigraret. Tota autem familia in p[...] teſtatem ſuam redacta, Hermotimus his verbis ſuum adlocutus eſt carnifice[...] Ὦ πάντων ἀνδρῶν ἤδη μάλιστα ἀπ᾽ ἔργων ἀνοσιωτάτων τὸν βίον κτησάμ[...]

τί σε ἐγὼ κακὸν ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν ἐμῶν τίς σε προγόνων ἐργάσατο, ἢ σε, ἢ τῶν σῶν ἵνα, ὅτι με ἀντ' ἀνδρὸς ἐποίησας τὸ μηδὲν εἶναι; ἐδόκεές τε θεοὺς λήσειν, οἷα ἐμηχανῶ τότε· οἵ σε ποιήσαντα ἀνόσια, νόμῳ δικαίῳ χρεώμενοι, ὑπήγαγον ἐς χέρας τὰς ἐμὰς, ὥς τέ σε μὴ μέμψασθαι τὴν ἀπ' ἐμέο τοι ἐσομένην δίκην· ὡς δέ οἱ ταῦτα ὠνείδιζε, ἀχθέντων τῶν παίδων ἐς ὄψιν, ἠναγκάζετο ὁ Πανιώνιος τῶν ἑωϋτοῦ παίδων τεσσέρων ἐόντων τὰ αἰδοῖα ἀποτάμνειν. ἀναγκαζόμενος δὲ, ἐποίεε ταῦτα· αὐτοῦ τε, ὡς ταῦτα ἐργάσατο, οἱ παῖδες ἀναγκαζόμενοι ἀπέταμνον. Πανιώνιον μὲν νῦν οὕτω περιῆλθε ἥ τε τίσις καὶ ὁ Ἑρμότιμος. Herodot. lib. VIII. p. 493. (γ.) Moroſos eſſe Eunuchos & minime tractabiles, non eſt, quod adeo miremur: illos enim continua excruciat animi aegritudo propter earum jacturam partium, quas omni theſauro redimere vellent, quarumque pretium vel univerſarum urbium ac regionum majus exiſtimant; nec injuria, hac enim amiſſae recipi poſſunt, damnum vero ipſis adlatum nunquam reparari poteſt. Sic Busbeq. Epiſt. III. pag. 81. narrat, *quod, cum ad Hally Baſſam* (qui erat *Eunuchus*) *trepidus veniſſet nuntius, & ingentem acceptam cladem, captum direptumque Strigonium nuntiaret, Baſſa reſponderet: „quam tu mihi (malum) cladem ingentem, quod tantum incommodum narras? Ea demum fatue mihi clades animadvertenda contigit, cum hinc (genitalium ſedem oſtentans) ea mihi membra ablata ſunt, quae me virum teſtabantur.* Et ſcribit Dionis Operat. Chir. p. 265., ſe ſaepius ex muſicis regiis, natione Italis, intellexiſſe, quod, cum ſe mutilatos, atque aliorum ludibrio ac ſexus amabilis contemptui expoſitos videant, ut eo magis cantu delectent, dolorem animi vix conſolabilem perferant. (δ.) Tandem, ut unico verbo hanc rem abſolvam, nihil fere turpe, nihil inviſum noſcitur, quod de Eunuchis non tradiderint Auctores, in primis Eccleſiae Chriſtianae Patres. Unus inſtar omnium eſto locus Baſilii Magni, Archiepiſcopi Caeſar. Epiſt. XXXVII. pag. 341. (Edit. Froben. 1551.) Εὐνούχων γένος ἄτιμον καὶ πανώλεθρον· τοῦτο δὴ τοῦτο, ἄθηλυ, ἄνανδρον, γυναικομανὲς, ἐπίζηλον, κακόμισθον, ὀξύθυμον, θηλυδρῶδες, γαστρίδουλον, χρυσομανὲς, ἀπηνὲς, κλαυσίδειπνον, εὐμετάβλητον, ἀμετάδοτον, πάνδοχον, ἀπερόσκορες, μανικὸν καὶ ζηλότυπον· καὶ τί γὰρ ἔτι εἰπεῖν; συν αὐτῇ γενέσει σιδηροκατάδικον. Salden. Diſſ. de Eun. §. XXII. Similia de ipſis prodidit Eques Chardin Voyag. Tom. VI. chap. XIV. ubi dicit *Eunuchos* deprehendi *magis crudeles, vindictae cupidos, inmiſericordes, tectos, meticuloſos, quam ſunt ceteri homines: rarum enim eſſe, vera fortitudine praeditos reperire Caſtratos.* & Tom. I. p. 89. ſcribit *Eunuchos vulgo eſſe rudes, parum tractabiles, vindictae cupidos, veros humani generis inimicos: ineptos, qui ament, vel qui amentu.*

tur: habere animum minime tenerum aut miſericordem. Imo Avenzöar no-tavit, *Nullum unquam Eunuchum bonorum morum reperiri*, teſtibus Zac-chia l. c. & Mercuriali ad noſtrum Aphoriſmum.

Utrum autem haec omnia, quae miſeris illis Semiviris inputantur, a amuſſim veritati conveniant, non abſque ratione dubitatur: imo plerique qui talia ſcripſerunt, odio incitati nimis inhumanam de ipſis tuliſſe ſenten-tiam aequis judicibus videntur. v. Saldenum l. c.

Abſoluta ſic qualicumque Eunuchorum hiſtoria, vix video, quid po-tiſſimum hic admiratione dignum occurrat; utrum ingens illa, quae σπερματοποίησι dependere viſa, tempore pubertatis toti corpori conting-mutatio, an vero illa, quae teſticulorum exſectionem ſequitur. Niſi ho prae ceteris cuiquam omnino adpareat mirabile, quod inter utrumqu ſexum omnem, teſte Galeno, Caſtratio tollat differentiam, ut qui ma ante & femina fuerant, convertantur in tertium quoddam genus, aeque maſculino, quam feminino diverſum, quo tamen ambo hi penitus con-veniant. Rationem hujus phaenomeni reddere conatur Galenus lib. I. d Sem. cap. XVI. cum inquit: Τί δὴ θαυμαστὸν ἐστι, κἀκ τῶν ὄρχεων εἰς ὅλ τὸ σῶμα διαδίδοσθαί τινα δύναμιν; οἷα τοῖς μὲν νεύροις αἰσθήσεώς τε, κινήσεως ἐξ ἐγκεφάλου· ταῖς δὲ ἀρτηρίαις ἐκ καρδίας. ἥτις δύναμις ἐ μὲν τοῖς ἄρρεσιν εὐρωστίας τε καὶ ἀρρενότητος, ἐν δὲ τοῖς θήλεσιν αὐτῆς τ θηλύτητος ἐστιν αἰτία. καὶ διὰ τοῦτο ὁμοιοῦσαι τὸ θῆλυ ζῶον ἐκτμηθ τοὺς ὄρχεις εὐνουχισθέντι τῷ ἄρρενι. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα σύμπαντα μόρια τα αὐτὰς ἔχει δυνάμεις ἐν ἀμφοτέροις. ὅπερ δὲ ἐξαίρετον ἦν ἐν ἑκατέρῳ δι᾽ ὃ τὸ μὲν ἄρρεν αὐτῶν ὑπῆρχε, τὸ δὲ θῆλυ, τοῦτο ἀπολέσαντα τ κατάλοιπον ἑαυτῷ, ἔσχε ταυτόν, ὡς εἰ κατ᾽ ἀρχὰς ἐγεγόνει μήτε θῆλυ μήτε ἄρρεν, ἀλλά τι τρίτον. διαφέρον μὲν ἀμφοῖν· οὐδέτερον δὲ ἐκείνω Hunc Galeni ſermonem non quidem omnino rem explicare lubens fateo cum tamen a Recentioribus nihil quidquam tolerabilius prolatum invene-rim, ipſius ratiocinationem adponere volui. Horum enim omnium accu-ratius examen nos a propoſito noſtro nimium abſtraheret. Haec igitu miſſa facientes, tranſibimus ad ulteriorem obſervationis Hippocratica conſiderationem, qua docet Εὐνούχους οὐ ποδαγριᾶν, οὐδὲ φαλακροὺς γίγνε-σθαι.

De ſingulis autem ſeorſum, & quidem Auctorem noſtrum ſecuti priu de Podagra, poſtea de Calvitie acturi ſumus.

Quod ad primum attinet, Hippocrates dicit, quod Εὐνοῦχοι οὐ ποδα-γριῶσι. quod & adfirmat A. Cornel. Celſus lib. IV. cap. XXIV. & Georgiu Baglivius Prax. Med. lib. II. cap. VI. §. 2. ſcribit: *Pueri, Eunuchi & Mu-li*

lieres aut nunquam, aut raro podagra laborant.

Ποδαγρᾷν ſeu Ποδαγριᾷν ſignificat *laborare* Ποδάγρᾳ. Dicitur autem Ποδάγρα quaſi ποδῶν ἄγρα, *pedum captura*: & eſt quidem primo *pedica*, inſtrumentum venatorium: unde Jul. Poll. Onomaſt. lib. v. cap. iv. Segm. 32. Ἡ δὲ Ποδάγρα ἵσαται μὲν ἐλάφοις, καὶ ὑσὶν ἔσθ' ὅτε· καλοῖτο δ' ἂν καὶ ποδοστράβη.

Medicis vero uſurpatur pro *morbo pedum*. Hujus translationis rationem dat ipſa haec aegritudo, Dea facta, apud Lucianum in Tragopodagra:

—— —— —— Βάσεις ποδῶν
Ἁπαλὰς ἔχουσα, παρὰ —— τοῖς πολλοῖς βροτῶν
Ποδάγρα καλοῦμαι, γιγνομένη ποδῶν ἄγρα.

Hoc ſenſu adhibetur ab Hipp. lib. περὶ πάθων cap. xxxii. Ποδάγρη βιαιότατον μὲν τῶν τοιούτων ἁπάντων, ὁκόσα περὶ τὰ ἄρθρα, καὶ πολυχρονιώτατον, καὶ δυσαπαλλακτότατον. Ubi diſtinguit Ποδάγραν, ἰσχιάδα & ἀρθρίτιδα a ſe invicem; & alibi quartum de articulorum adfectionibus adhibet vocabulum, κέδμα nimirum: quo modo autem haec differant vide apud Profp. Martianum ad Hipp. l. c. In Definit. Med., quae Galeno adſcribuntur, num. 292. Ποδάγρα dicitur πάθος περὶ τοῖς ποσὶ γιγνόμενον, πόνον ἐπιφέρον πασχόντων τῶν νεύρων· οἷς μὲν μετὰ πυρώσεως, οἷς δὲ μετὰ ψύξεως. Nobis cum maxime arridet illorum definitio, qui dicunt: quod Ποδάγρα ſit dolens admodum aegritudo circa ligamenta offium pedis, & circa juncturas horum: vere & autumno maxime revertens.

Morbi ſeu aegritudinis nomen nullus, ut puto, Podagrae negabit, quum ob hac inpediantur pedes, quo minus ſuis officiis fungi poſſint. Eleganter hoc expreſſit Lucianus, ubi querulum producit Podagricum, qui baculum ſuum adloquens, ait:

Ὤμοι πόνων ἀρωγὸν, ὦ τρίτου ποδὸς
Μοῖραν λελογχὼς βάκτρον, ἐξέρειδέ μου
Βάσιν τρέμουσαν, καὶ κατίθυνον τρίβον,
Ἴχνος τε βαιὸν ὡς ἐπιστήσω πέδῳ·
Ἔγειρε τλῆμον γυῖα δεμνίων ἄπο. Et paulo poſt.
Ψυχὴ μὲν οὖν μοι, καὶ προθυμία πάρα,
Βάσεις ἀμείβειν ἐπὶ θύρας ὡρμημένῳ.
Δέμας δὲ νωθρὸν οὐχ ὑπηρετεῖ πόθοις.

Ὅμως δ' ἐπείγου θυμὲ, γιγνώσκων ὅτι
Πτωχὸς ποδαγρῶν, περιπατεῖν μὲν ἂν θέλῃ,
Καὶ μὴ δύνηται, τοῦτον ἐν νεκροῖς τίθει.

Hinc ipſa *Dea Podagra* baculo innixa ibidem repraeſentatur. Huc & ad ludit Plautus in Poenulo Act. III. ſc. I.

Si ad prandium me in aedes vos dixiſſem ducere,
Vinceretis cervos curſu & grallatorem gradu:
Nunc vos, quia mihi advocatos dixi & teſtes ducere,
Podagroſi *eſtis, ac viciſtis cochleam tarditate.*

Vocavimus autem dolentem admodum aegritudinem, quum tam moleſt hoc morbo adflictos excruciet ſenſus, ut hinc ἀνίκητος πόνων δεσπότις audi Podagra eidem Luciano, apud quem hominem, in quo ſaeviſſima Po dagrae tela adhaerebant, querentem audimus hoc modo:

Οἴμοι. παπαῖγε. πιέζομαι. διόλλυμαι.
Ἅπαν πέπαρμαι γυῖον ἀσκόπῳ κακῷ.
Οὐ Ζεὺς κεραυνοῦ τοῖον αἰωρεῖ βέλος,
Οὐδεὶς θαλάσσης τοῖα μαίνεται κλύδων,
Οὐδὲ στροβητὴ λαίλαπος τόση βία.
Μὴ κάρχαρον πορθεῖ με δῆγμα Κερβέρου;
Μή τις Ἐχίδνης ἰὸς ἀμφιβόσκεται;
Ἢ διαβρεχὴς ἰχῶρι Κενταύρου πέπλον;

Partem hac aegritudine ordinarie, ac primo correptam diximus eſſe p dem & quidem circa ligamenta, perioſtia, tendines, membranaſque a articulos poſita, adeoque eas partes, quae difficillime ſuum transmittur liquidum, utpote a corde remotiores & maxime preſſae; licet poſtea & alias ſaepe infeſtet partes. Sic Podagra apud Lucianum dicit in Ocypo:

Ποδάγρα κέκλημαι, δεινὸν ἀνθρώποις πάθος,
Δεσμῶ δὲ νεύροισι τοὺς πόδας βρόχοις,
Ἄρθροισιν εἰσδραμοῦσα μὴ νοουμένη. & poſtea
Ἀντέδακα τοῦτον ἀθεράπευτον εὐστόχως,
Ὡς ἦν ἔθος μοι κονδύλου ποδὸς τυχεῖν.
Ἤδη δ' ὁ δεινὸς πόνος ἔχει λεπτὸν τόπον,
Καὶ τὴν βάσιν νυγμοῖσι τρυπᾷ τὴν κάτω.

Quo

Quod autem vere & autumno maxime revertatur haec aegritudo, ab Hippocrate jam notatum ſect. VI. Aphor. LV., confirmatur a Sydenhamo, Baglivio, &c.

Cauſa hujus morbi proxima videtur ſtatui poſſe, Vitiata indoles minimorum vaſculorum in corpore: tum etiam liquidi, quod illas partes adluit.

Liquidum hoc peccare poteſt acrimonia vel tenacitate, vel quocumque modo a requiſitis in eo dotibus recedere poteſt.

Solidae autem partes peccant nimia vaſculorum anguſtia & rigiditate; Hiſce hoc vitium conciliabatur a nativa diſpoſitione, diuturna preſſione ponderis totius corporis, aetate provecta, exercitiiſve validis, partes conſolidantibus, aliisque cauſis externis.

Liquidorum vitiatorum origo proxima pendebit ab indigeſtione viſcerum non attenuantium adſimilantiumque ſatis adſumta in indolem requiſitam in liquidis ſubtiliſſimis. Hoc docent cauſae remotiores hunc morbum antecedentes.

Invadit enim naturaliter Podagra in primis viros, qui denſioris ac rigidioris ſolent eſſe ſtructurae, quam feminae, & quidem viros aetate provectiores, quum omnia corporis noſtri ſolida per ipſas vitae actiones diuturnas rigidiora evadant; in primis, ſi quaevis duriora acceſſerint exercitia, vehementioreſque motus, ut equitatio, praeſertim in frigore &c. Quum autem corpora feminina laxiora ſint, & haec minus laboribus frangantur, patet ratio, cur mulieres, ceteris paribus, non adeo huic morbo ſint obnoxiae. v. Hipp. ſect. VI. Aphor. XXIX. & in Epidem. lib. VI. S. VIII. Idem vero in Eunuchis obtinet. Hi enim mollitiem habent femineam fere, &, ut antea diximus, ad ſervilia quidem, verum ad facillima ac leviſſima adhibebantur officia, quum durioribus inpares eſſent laboribus. Nec objiciatur, quod Eunuchi Perſarum caſtra quoque ſint ſecuti. Illa etenim itinera bellica facili abſolvebant opere, nec multum inde incommodi patiebantur, dum non equis, ſed perinde, ac liberi regis, armamaxis vehebantur. Curt. lib. III. cap. III. §. 23.

Infeſtus deinde in primis eſt morbus Podagricus iis, qui acutum, quo praediti ſunt, ingenium adſiduo & acriter de die non ſolum, ſed in ſeram usque noctem exercent. Unde diuturna & ſeria meditatione Sydenhamus ſtatur, ſe hujus aegritudinis ſaeviores paroxyſmos ſaepius ſibi conſciviſſe. Eunuchi autem plerique abjecti animi homines, & machinarum ad inſtar ad opera quaedam ſervilia deſtinati, ſeverioribus ſtudiis vix incubuerunt; unum vel alterum, quod forte ex tot annorum hiſtoria produci poſſet, exemplum ſi exceperis. Torminibus idcirco Podagrae hac de cauſa minus obnoxii eſſe debuerunt.

Maxime autem hanc adfectionem provocare ſolet victus opiparus ac luxu-

luxurioſus, & potus generoſioris vini copioſus, maxime noctu; ut & quod palmarium ſtatuitur, venus praematura nimis culta. Unde Veneri & Bacchi filiam eſſe Podagram quidam finxerunt. Haec enim quantum valeant ad viſcera chylopoëa & haematopoëa, imo totum corpus debilitandum, adeoque humores omnes corrumpendos, & debita privandos adſimilatione, nemo, niſi qui in Medicina plane ſit hoſpes, ignorare poteſt.

Hanc autem viſcerum debilitatem & in digerendis adſumtis pigritiam non inmerito Podagrae cauſam ſtatui docent ea, quae hujus morbi paroxyſmos praecedere ſolent, phaenomena, cruditas ſcil., gravitas, torpor flatulentus, &c. Quid autem his recenſitis Podagrae cauſis magis eſt contrarium, quam ſobria iſta, quam Hippocratis aetate obtinuiſſe inter Perſas demonſtravimus, diaeta: huic vero adſtricti quoque fuerunt Eunuchi qui conſtituta habebant cibaria, nec ultra dimenſum comedere vel bibere potuerunt, ut notat Oribaſius in commentario ad eum, de quo agimus, Hippocratis Aphoriſmum, qui ipſi eſt XXVI. Sect. VII. Nonne praeter ea mutila Caſtratorum conditio ipſos tutos praeſtabat a detrimento, quod viri a frequentiori & praematuro coïtu ob nimiam praeſtantiſſimi liquidi excretionem pati ſolent? ſi quis interim ſtatuat cum Sanctorio, praeter ſeminalis humoris ejaculationem, ad corpus debilitandum plurimum conferre vehementem, quae in coitu fit, omnium membrorum agitationem & quaſi convulſivos motus; & hinc porro concludat, Eunuchos hac parte ſaltem Podagrae anſam dediſſe: ipſi probandum eſt, tam antiquis temporibus ἐκτομίας vel cum viris, vel cum mulieribus, quod utrumque ſeriori aetate factum adgnoſco, ſe commiſcuiſſe. Hujus autem rei nullum in illorum temporum monumentis reperire potui veſtigium.

Quin & hujus morbi acceſſum praegredi ſolet alvus adſtrictior; quae forte nocet eo nomine, quod particulae quaedam noxiae, per hanc viam eliminandae, retineantur, & diutius in hac cloaca ſtagnantes, adeoque magis etiam acres redditae, vaſis recipiantur. Ariſtoteles autem notat ſect. IV. Probl. III. quod Ἐυνούχοις αἱ κοιλίαι ἔυλυτοι γίνονται.

Ante hujus morbi invaſionem obſervari quoque ſolent pedum varices. Inpedito ſcilicet libero per vaſa majora ſanguinis tranſitu & refluxu ad cor, haec vaſa diſtenduntur, atque ſic vaſa minora & nervos comprimunt. Varicibus vero vel omnino non laborant Caſtrati, vel multo minus quam reliqui, ut ſupra ex Ariſtotele didicimus.

Occaſionem inſuper Podagrae dare dicuntur pedes ſudantes ſubito refrigerati, quod incommodum ſaepius accidit iis, qui venantes rapidiſſima animalia curſu ſuperare & adſequi conantur, capta vero praeda iterum quieſcunt, vel pluvioſa tempeſtate humidos per campos lento ſpatiantur gradu.

Eo-

Eodem referuntur pedes ſudantes in caligis madidis, praeſertim ſi tum
bito ad luculentum focum exſiccentur & rigeſcant. Unde Podagra fa-
iliaris ſolet eſſe iis agreſtibus, qui terrae bituminoſae ex aquis eruendae
extrahendae tota vita operam locant. Sed in haec pericula non adeo
currunt illi, qui domi fere ſemper ſe continentes modicis ſeſe exercent
oribus, uti Spadones conſueverunt. Imo nihil eſt, quod adeo corpus
nfirmet, viſceraque reddat idonea ad requiſitam ingeſtorum commuta-
nem, quam modicus iſque ſaepius repetitus corporis motus & exerci-
io.

Recenſitis Podagrae cauſis additur labes corporis haereditaria, de qua
nſtat per obſervationes, quod infinitos optimo loco natos homines, &
deratiſſimo utentes victu peſſimae Podagrae tyrannidi ſubjecerit, dum
atre vel matre hoc morbo laborante progeniti fuerant, in primis ſi
nceptus tempore paroxyſmi factus erat. Quum autem Galenus, in
nmentario ad noſtrum Aphoriſmum, notaverit, quod Hippocratis qui-
n temporibus pauci omnino Podagra laboraverint, & obſervationes in-
er docuerint divites magis, quam pauperes, ab hoc morbo adflictari;
nuchi vero plerumque humillimae ſortis fuerint homines, patet, cur
hac de cauſa minus periclitari potuerint.

Tandem a contagio non nunquam in Podagram prolapſos eſſe homines
antur Medicorum ſcripta, ſi diu cum Podagricis ſub iiſdem ſtragulis
uiſſent. ſic v. c. uxor ſana diu cum marito Podagroſo concumbens
lem & ipſa ποδαγρᾶν viſa fuit, & vice verſa. Quis autem crediderit,
os heraſve unquam permiſſuros fuiſſe ſervo cum ipſis decumbere,
quam libidinis explendae gratia in eorum lectos admiſſi fuerunt?

Haec de priori Aphoriſmi membro dicta ſufficiant: ſi quis interim plu-
e Podagra ſcire deſiderat, adeat prae primis Sydenhamum & Bagli-
n: quae autem hi prolixiori ſermone expoſuerunt, in compendium
cta atque ulterius expolita invenire eſt in Boerhaavii Aphoriſmis de
noſc. & curand. morbis, cap. de Podagra, quem in hiſce ſecuti ſumus.
Tranſimus itaque ad alteram Aphoriſmi partem, qua adfirmat Auctor,
d Ἐυνοῦχοι οὐ φαλακροὶ γίγνονται.

Hoc obſervatum confirmatur teſtimonio Ariſtot. lib. III. de Hiſt. Anim. cap.
CXLI. & ſect. X. Probl. 60. Galen. & Mercurial. in comment. ad no-
n Aphoriſmum.

αλακρὸς, dicit Etymologus, ἐςὶν ὁ τὸ ἄκρον ἔχων φαλὸν, ὅ ἐςι λευκόν.
τὸ φάος· φάλιον, γὰρ τὸ λευκόν. Hinc derivatur Φαλάκρωσις, quae
onditio τῶν φαλακρῶν, & vertitur, *Calvities*, ſeu *Calvitium*. Defi-
autem a nobis, quod ſit Defectus capillorum naturaliter qui-
viris, in matura ſenectute, contingens, in nonnullis illam aetatem

pa-

parumper antevertens; ſenſim accedens, tardeque procedens.

Diſtinguitur ſic a morbis aliis capillorum, μαδάρωσι, ἀλωπεκίᾳ, ὀφία defluvio capillorum.. vid Foëſium in Oeconomia Hipp., Gorraei Defin Med. in v. φαλάκρωσις. & Mercurial. de Morbis Cutan lib. I. cap. v. H enim adfectiones, abſque ulla ſexus vel aetatis differentia, ſaepe ſubito, primis poſt graviores quaſdam aegritudines, homines capillorum ornam to privant: licet tamen haec vocabula aliquando a Medicis promiſcue ſurpari non negaverim.

Cauſa proxima hujus mali ſtatuitur nutrimenti defectus. Cujus cau propiores iterum quaerendae erunt vel in ſolidis, vel in fluidis, vel in triſque.

In ſolidis accuſari poterit nimia vaſorum anguſtia, vel integra eoru dem abolitio: fluida vero hic peccare poterunt, ſi quocumque modo cedant a dote in ipſis requiſita, ut bona nutritio fiat.

Ut autem haec melius intelligantur, pauca quaedam de Capillis er praemittenda.

Capillus, ſive capitis pilus, eſt corpus tenue admodum, oblongun teres utcumque, extra aequabilem cutis ſuperficiem maxima ſui parte p minens. Dividitur in corpus, & bulbum, ſeu radicem, quae inhae plerumque cuti, ſaepiſſime folliculis glanduloſis, quandoque & memb nae celluloſae; ſemper craſſior eſt corpore capilli, extrinſecus inveſ ſpecie quadam membranulae. Ex hac radice capillus adſurgit, & per epid midem tranſeuns, ab ea accipit vaginulam externam, quae ejus duriti facere creditur, arcte capillo concreſcens. Ad pili radicem accedunt teriae & venae minutiſſimae, ut & nervuli. Arteriae eo adferunt hum res ad vitam ac nutritionem neceſſarios: venae ſuperfluum reducunt quidum: nervi ibi excitant exquiſitiſſimum ſenſum, & acutiſſimos, ſenſim ac lente evellitur capillus, percipiendos dolores. Vaſa illa ulterius ipſum capilli corpus diſtribuuntur, uti diſciſſi & microſcopio objecti pilli docuerunt. Quantae autem ſubtilitatis in capilli corpore ſint h vaſcula, facile concipiet, qui non ignorat illud, quod a nobis pro ſim ci habetur plerumque pilo, componi ex multis filamentis, uti ex mo harum partium innotuit. Glandulae interim cutaneae, quae nuſqua ubi reperiuntur pili, deſunt, ſmegma fundunt oleoſum, quo capillos ungunt, & flexibiles tenent: quo linimento deficiente areſcunt, find tur, ac tandem emoriuntur capitis pili. v. H. Boerhav. Orat. de Com Certo in Phyſicis.

Hiſce in anteceſſum notatis, cauſas Calvitiei datas ulterius contem bimur, & quidem primo illam, quam a vaſorum nimia anguſtia vel in gra abolitione deduximus.

Ut hoc rite fiat, adſumimus iterum, quod in hiſtoria Podagrae verbu-
lo jam innuimus, corpus noſtrum, quo origini propius ſit, eo plura ha-
bere vaſa; per aetatem vero plurima aboleri & in ſolidum mutari: abole-
ri autem primo quidem vaſa omnium minima ceteris paribus, dein illa,
quae proximo ſequuntur parvitatis gradu: hoc autem ab ipſis vitalibus
actionibus ſolis fieri & poſſe, & debere. Hinc ſenum rigiditas, nec non
inevitabile fatum & mors naturalis deducitur.

Haecce ſi accurate & attento animo conſiderentur, nonne ſponte inde
patet, quod vaſa, quae capillitio largitur natura, cum adeo ultra fidem
ſint exilia, per continuas vitae actiones in longaevis hominibus, anguſtari
primo, dein tandem conſolidari, eorumque cavitas nulla fieri debeat?
Nonne ſimul inde adparet ratio, cur feminae, quarum, uti ſupra vidimus,
laxiora ſunt virilibus corpora, non calveſcant? notante hoc Ariſtotele lib.
II. de Hiſt. Animal. cap. X. §. CXLI. Plin. Hiſt. Natur. lib. XI. cap. XCIV.
*Pili —— congeniti —— nec feminis magnopere deſinunt. Inventae tamen
quaedam defluvio capitis invalidae: ut & lanugines oris, cum menſtrui curſus
ſtetere.* Uti & cur effeminati ἐκτομίαι a φαλακρῶσι liberi maneant?

Quod autem vitales actiones lente perficiunt, hoc multo citius prae-
ſtant vehemens motus ac dura corporis exercitatio. Unde videmus equi-
tes, qui a juventute in bello ſtipendia meruerunt, mediam vix attingere
aetatem, quin toti jam rigeſcant. Sic & tabellarii, qui noctes dieſque e-
quis vehuntur veredariis, non ita multos inplerunt annos, quum jam adeo
evaſerunt rigidi, ut equum conſcendere, vel ab eodem deſcendere non niſi
difficulter valeant. Unde autem corporis noſtri flexibilitas pendet, ſi non
a infinito minimorum, ſua liquida transmittentium, vaſculorum nume-
ro? adeoque & rigiditas ab eorum conſolidatione deducenda videtur. A-
unde autem ex Eunuchorum hiſtoria patuit, illos talia non egiſſe opera,
unde haec produci potuiſſent.

Si autem exercitia rudiora hoc efficiant, fiet hoc, quoniam humorum
actionem in vaſa, horumque viciſſim in liquida adeo adaugent atque in-
ſtant: quare idem erit effectus, ſi motus ille rapidior excitetur & conti-
nuetur a diaeta calefaciente; ingeſta ſcilicet adſiduo nimia liquidorum ſpi-
rituoſorum copia, nimioque aromatum uſu. Idem quoque producet ni-
mis frequens veneris exercitium. Si autem hanc in Eunuchis obtinuiſſe
φαλακρώσεως cauſam, adeoque & effectum quis opinabitur, examinet tan-
tum ea, quae de illorum iis, de quibus agitur, temporibus vivendi modo no-
vimus, & omnino nihil quod ſententiae ſuae faveat, inventurus eſt;
eo levitatem ſuae opinionis confutatam videbit ab ipſo Hippocr. lib.
περὶ φύσιος παιδ. cap. XIX. Οἱ δὲ Εὐνοῦχοι διὰ τοῦτο οὐ γίνονται Φα-
λακροὶ, ὅτι σφέων οὐ γίνεται κίνησις ἰσχυρή· οὐδὲ θερμαινόμενον τὸ φλέγ-

 μα

μαι ἐν τῇ λαγνείῃ χαίει τ̃ τειχῶν τὰς ῥίζας:

Quid autem cutis propter eaſdem cauſas nimis condenſata, & folliculi glanduloſi coärctati atque inminuti, imo tandem fere obliterati, compreſſis Capillorum vaſculis & radicibus, & denegato linimento pilis adeo neceſſario ad Φαλάκρωσιν contribuere valeant; nimis, ut puto, ex praecedentibus manifeſtum eſt, quam ut explicationem requirere videatur.

Haec quum de ſolidorum vitio, ut Calvitiei cauſa ſufficere videantur, examinandum erit, quo modo fluida Capillorum defectui anſam dare poſſint. Fluida hic peccare, ſi quocumque modo a requiſita in ipſis, ut bona fiat nutritio, dote recedant, ſuperius adfirmavimus.

Ut corpus bene nutriatur requiritur in liquidis definitus tenacitatis ac lentoris gradus absque nociva acrimonia. Hac exoptata adeo conditione variis modis privati humores exceſſu peccant vel defectu.

Prior modus eſt ille, qui in ſenum Φαλακρώσι ſemper, ac naturaliter obtinere videtur. Ubi enim rigida per aetatem evaſerunt ſolida, humores magis denſi evadere, nimiumqne contrahere lentorem obſervantur, quod ipſum ſolidis ita, ut diximus, conſtitutis debetur. Ne hoc audacius adſertum crédas, H. L.: deficiat enim ſolidorum motus & actio in fluida, ipſe ſanguis aquae ſimilis evadit; docent hydropici, virgines chloroticae &c.: ſupple defectum per convenientia medicamenta, frictiones, motitationes corporis, &c.; compinguntur humore, fit ſanguis floridus, optimae notae, juſta praeditus cohaerendi vi; continua nimis diu eamdem medendi methodum, ſanguis ſerumque phlogiſticam adquirent diſpoſitionem & fere in ſolida corpora commutabuntur. Rigiditati idcirco ſolidarum partium deprenſus in ſenibus humorum lentor erit adſcribendus. Quod autem nimia liquidorum noſtrorum tenacitas obſtare debeat libero eorumdem per capillos circuitui, manifeſtum érit ipſi, qui ex antecedentibus in memoriam revocaverit, quam puſilla atque exilia, quae crines perreptant, ſint vaſcula. Haec autem cum jam ponantur coärctata per aetatem, quid quaeſo, praeter ea requiritur, ut omnis liquidorum influxus, adeoque materiae nutritiae adplicatio capillis denegetur?

Haec autem eadem multo citius contingent illi, qui per cauſas ſupra datas partium rigiditatem, adeoque ejus ſequelam humorum lentorem accelerarit. Ut nunc pateret hanc Φαλακρώσεως cauſam in Eunuchis non adeo vigere, eadem, quae ſuperius, ubi de cauſa Calvitiei a ſolidis pendente egimus, ſunt propoſita, tantum modo hic repetenda forent; atque ideo, ne taedium creëmus, Lectorem illuc remittimus.

Defectu requiſitae tenacitatis, peccant fluida, ubi in morbis quibuſdam totum corpus languet, omneſque humores diſſolvuntur, (quod in phthiſi, morbis putridis, &c. obſervatur.) cui humorum dyſcraſiae major mi-

nor-

norve ſupervenire ſolet acrimonia, unde omnis ad nutritionem perit aptitudo. Haec autem potius ad Capillorum defluvium, quam ad φαλάκρωσιν, pertinere videntur.

Si interim admittatur hypotheſis illa, quae ſtatuit eam, quae ſemini inpenditur, materiam eamdem eſſe, quae nutritioni maxime idonea ſit, patebit quoque exinde, cur frequens veneris uſus caput citius crinibus orbum reddat, cum ſic ipſum nutrimentum e corpore eliminaretur. Defectus autem nutritionis primo ſe manifeſtabit in partibus minutiſſimis, quales ſunt Capilli. Quidquid ſit, Φαλακρώσεως cauſam ad ſolam venerem retulit Hippocr. lib. περὶ φύσιος παιδ. cap. XVIII. ὁκόσοι δὲ φαλακροὶ γίνονται, οὗτοι δὴ φλεγματώδεές εἰσι, καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτέων ἅμα τῇ λαγνείῃ κλονεόμενον καὶ θερμαινόμενον τὸ φλέγμα, προσπῖπτον πρὸς τὴν ἐπιδερμίδα καίει τῶν τριχῶν τὰς ῥίζας. καὶ ἐκρέουσιν αἱ τρίχες. Plin. Hiſt. Nat. lib. XI. cap. XCIV. *Libidinoſis congeniti maturius defluunt: adgnati cerius creſcunt.* Hoc vero in Eunuchis Calvitiem producere non poſſe, vel ſolum Caſtratorum nomen evincit.

Vidimus itaque, quare Εὐνοῦχοι οὐ φαλακροὶ γίγνονται, atque ſic utramque partem Aphoriſmi noſtri abſolvimus.

Nec leve aut contemnendum eſt hoc, quo fruebantur Eunuchi, naturae beneficium. A binis enim liberi erant adfectionibus, quarum altera Podagra, uti ſupra viſum eſt, ſaeviſſimis antiſtites ſuos cruciatibus torquet; altera Calvities jam ab antiquiſſimis uſque temporibus ludibrio habita fuit. patet hoc ex contumelia, qua pueruli Prophetam adficiebant, lib. II. Regum. cap. II. ℣. 23. Docet idem cantilena militum Caeſaris apud Sueton. in vit. Jul. Caeſ. cap. LI.

Urbani ſervate uxores, moechum calvum *adducimus.*

Imo tam inviſum fuit apud Vett. Calvitium, ut omnes apud inferos calvos dixerint. Lucian. in Dialog. Mortuor. T. I. p. 272. (Ed. A. 1619. AEACUS: Ὁρᾷς τὸν φαλακρόν; MENIPPUS. Ἅπαντες φαλακροί εἰσιν, ὥστε πάντων ἂν εἴη τοῦτο τὸ γνώρισμα.

Non dubito interim, quin plerique futuri ſint, qui ineptum & ridiculum exiſtiment tantam operam inpendere examini obſervationis omnino ſae, qualem ſcilicet hanc Hippocratis eſſe judicant, inducti auctoritate centiorum Obſervatorum, qui notant Eunuchos & Podagra laborare & calvos fieri. Verum diſcant hi diſtinguere tempora & mores, & prudentius de divo Sene judicium ferent. Galenus enim, quod ſciam, primus, qui in Hippocratis Aphoriſmos commentatus eſt, notat, ſuo quidem tempore Εὐνούχους a Podagra non fuiſſe liberos: verum ideo Hippocrati fidem derogare noluit, imo tantum abeſt, ut ipſe potius, haec aliunde forte amplius edoctus, pronuntiatam a Coö ſententiam iis, quibus ſcripſerat, tem-

temporibus veram fuiſſe adfirmaverit & in diſcrepantiae hujus rationes inquiſiverit, eaſque ex mutatis omnino horum Semivirorum moribus deduxerit. Philotheus in comment. ad hunc locum ſuo tempore Podagrae & Calvitiei ipſos fuiſſe obnoxios, memoriae prodidit, verum eamdem, quam Galenus, mutationis hujus adfert rationem: ſic & Oribaſius & innumeri fere hos ſecuti Medici, qui Hippocratis Aphoriſmos commentariis ſuis ac notis illuſtrare conati ſunt. v. & C. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. XXVIII. cap. XXX. Adeo ut hae variantes obſervationes ſententiae Hippocraticae veritatem nullo modo dubiam reddere, fidemve ejus infirmare valeant, imo potius confirment illa, quae circa ejus cauſas propoſuimus.

Ecce tibi, B. L., quae ex attenta naturae, cum τῶν Εὐνούχων, tum τῆς Ποδάγρας & Φαλακρώσεως conſideratione eruere, atque ad Aphoriſmi hujus Hippocratici illuſtrationem & αἰτιολογίαν, ipſiusque Hippocratis contra quosdam Recentiores defenſionem proferre in medium licuit. Si quae minus exacta & perfecta hic occurrant, nullus dubito, quin facile veniam ab aequitate tua inpetraturus ſim, quippe qui non oſtentandae eruditionis gratia, aut ſcribendi quadam prurigine incitatus adripuerim calamum; ſed, ut Academico mori obſequerer, haec conſcribere coactus fuerim. Neque alicubi in materia ſatis difficili inpegiſſe turpe exiſtimabo, dum, ſi omnes, quas de hoc Aphoriſmo ingens Commentatorum numerus prodidit, nugas vellem recenſere, vix ullus eſſet

F I N I S.

A D

AD VIRUM

Ingenio, doctrina & ſtudio praeſtantem

BARTHOLOMAEUM HERMANNUM DE MOOR,

Publicis honoribus Medicorum ordini rite adſcribendum.

MOORI, juventae quem docilis chorus,
Faſtis Medentum nunc decus additum,
Primos honores deferendo
Proſequitur modulante plauſu:
Quae tam ſeverae cauſſa modeſtiae
Contundit acrem pectoris inpetum,
Summum laborando mereri
Quo ſtudii pretium volebas?
Veramne laudem Tu tibi denegas,
Dignamque pulcra mente ſuperbiam,
Qua Civitas tota excitetur,
Quae Patriam reſonet per omnem?
Phoebi miniſtri quam, tibi debitam,
Datam volebant, ut gemino gradu
Aſtraea virgo juncta Phoebo
Iret ovans Batavo in Lyceo.

Sed

Sed uſitatis tu potius frui
Vis, faſtuoſis plauſibus abſtinens,
Et patrios mores probato
Obſequio, generoſe, firmas.
Utcumque viſum eſt, tu tibi ſufficis,
HERMANNE, magnos omine dextero
Secutus HERMANNOS, priorum
Qui ſatagunt renovare cultus.
Antiqua virtus, conſilio & fide
Innixa, normam, quam Ratio ſagax
Polivit humanos in uſus,
Ad Medicas revocavit artes.
COUMque juſto tramite principem
Secuta Naturae abdita prodidit,
Aramque ſacravit Saluti
Ad Samias Siculaſque leges.
O pulcra fauſti tempora ſaeculi,
Quîs digna Phoebi numine carmina
Fundunt Camoenae, Praeſidique
Serta ſuo calathis reponunt.
Haec tu mereri ſumma, merentibus
Parata ſolis, praemia pertinax,
MOORI, laborabas, nec ulli
Cura vigil ſtudio pepercit.
Nunc alta Phoebi templa patent tibi,
Honore cinctum laurigero caput,
Flammae minaces invidentum
Ne noceant, Hygieia praeſtat.

Aram

Aram Saluti, vatibus inclitam,
Leida hoſpitali praeſidio fovet,
Qua Soſpitatores Batavi
Per patulum celebrantur orbem.
Ab hoc receptum te Pater Ordine
Cernens Apollo, jam ſibi proſpicit
Decus futurum, poſterisque
Praeſidium ſtabile auguratur.
Te Graja Siren; Te faciles, bona
Cultus Latini numina, Gratiae
Per fida priſcorum vireta
Mente jubent ſolida vagari.
Ut inde doctus mella recentium,
Stipata recto conſilio, legas,
Prudensque Doctorum arbitratu
Sis miſeris opifer deinceps.
Adſurge MOORI, nunc celebres avos,
Hac arte claros, poſtgenitis refer,
Famamque per gentes Batavam
Perge novis ſtabilire fulcris.

HENR. SNAKENBURG.

AEN DEN HEER
BARTHOLOMAEUS HERMANN
DE MOOR,

Toen hy in de Hooge Schoole van Leiden Dokter der Geneeskunde wierd verklaert.

TAelgeleerden ryk van glori,
Outheitminnaers in hiſtori
Oordeelkundigh afgericht,
Ziet hier een geſchrift in 't licht,
Dat ons uit geſchiedeniſſen
Der aloutheit weet te viſſchen
Zuivre parels eêl en ſchoon
Tot ſiraet van Pallas kroon.
Wie zyn' weetluſt op wil beuren
Om de waerheit na te ſpeuren,
Die de groote Hippocraet,
Griekens trooſt en toeverlaet,
Ons ondekt in korte ſpreuken
Vol van wysheit, nooit te kreuken,
Lees dees bladen van DE MOOR
Opgevoedt in Pallas koor:
Daer hy 't voetſpoor van zyn' Vader
En zyn' Grootvaêr, bei te gader
Kloek van deugt en wetenſchap,
Houdt met eenen heldenſtap.
Tracht ge, o Febus lievelingen,
In het diep geheim te dringen
Der alteelende natuur?
Hoe ze poogt van uur tot uur

't Brooze leven voort te zetten;
Of, hoe 't zaet naer wyze wetten
Wordt bereidt en voortgebragt
Om het menſchelyk geſlacht
Voor zyn' ondergang te hoeden?
Wilt ge met DE MOOR bevroeden,
Wat de gryze ervarentheit
Van d'ontmanden heeft gezeit?
Hoort dan zyn doorzulte reden,
Als hy de oude wyze en zeden
Der geſneeden ſlaeven leert;
Ook, hoe kaelheit hen niet deert;
Noch voeteuvel dol van pynen
't Baerdelooze rot doet quynen;
Hoort hem deeze kieſche ſtof
Braef verweeren tot zyn' lof.
Dat nu vry de laetere eeuwen
Dees bevinding tegenſchreeuwen;
Levenswys naer tyt en ſtaet
Baert ook onderſcheit in 't quaet.
Pryſt met my den noeſten yver
Van myn' Vrient, die meenigh ſchryver
Heeft doorſnuffelt, eer 't beloop
Van dien Gordiaenſchen knoop
Door zyn' arbeit was gevonden;
Nu heeft hy dien ſtrik ontwonden,
En beſchermt door Febus gunſt
Hippocraet, den Prins der kunſt.
Zou de School met glorikroonen
Zulk een' Letterhelt niet loonen,
Aen wien tabbaert, muts en ring
Voegen als Achil de kling?
Dat uw' luiſter ſteeds vermeere,
En Geneeskunde u vereere
Eenen friſſchen lauwerkrans.
Dat Minerv met ſchilt en lans

En

En helmet uw' naem beveilig',
Als gy doet dien grooten Heilig
Van de kunſt, in eere ontzien,
Dat geen nyt u 't hooſt durft biên.
Zoo moet ge in de kunſt ervaeren
Meenigh menſch het leven ſpaeren,
Als ge, o HERMAN, ſmart en leet
Doet verhuizen, waer gy treedt.

G: LE MAIRE.